DE GRAECORUM
MAGISTRATIBUS EPONYMIS
QUAESTIONES EPIGRAPHICAE SELECTAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

CLEMENS GNAEDINGER

BADENSIS.

ARGENTORATI

MDCCCXCII.

DE GRAECORUM
MAGISTRATIBUS EPONYMIS
QUAESTIONES EPIGRAPHICAE SELECTAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

CLEMENS GNAEDINGER

BADENSIS.

ARGENTORATI

MDCCCXCII.

Von der Fakultät genehmigt am 16. Juli 1892.

Magistratus eponymos eos vocare solemus, quorum nominibus cum alia temporis definiendi ratio deesset, veteres singulos annos significabant. Sic Athenis principem novem archontum hac eponymiae dignitate usum esse constat inter omnes. Docent enim haec et tituli ipsi, quorum in praescriptis ad tempus significandum usurpatur formula ἐπὶ τοῦ δεῖνα ἄρχοντος (vel praepositione omissa τοῦ δεῖνα ἄρχοντος), et annalium scriptores, qui non raro archontum nomina e tabulis publicis sumpta exhibent ad annos indicandos[1]. Sed in hac ipsa re monendum est „eponymi" appellationem in monumentis imperatoriae demum aetatis reperiri (C. J. A. III, 81, 623, 655) et inter scriptores primum apud Plutarchum (Aristid. 1 et 5). Nam quod Ludovicus Lange (Leipz. Stud. I, p. 159 sq.) contenderat principem archontum vetustioribus quoque temporibus ἐπώνυμον publice appellatum esse (etiamsi non idcirco quod anno nomen dabat, sed quia praescribebatur catalogis, quibus ephebi recensebantur), haec viri docti opinio plane refutatur eis, quae Aristoteles de hac re tradit (cf. πολιτεία Ἀθην. c. 53), unde discimus ἐπωνύμους τῶν ἡλικιῶν diversos fuisse ab archontibus. Sed cum de eo qui Athenis omnibus temporibus[2] eponymi munere functus sit magistratu nihil dubii relinquatur, incertius in plerisque aliis Graeciae civitatibus de hac re est iudicium. Tituli enim quibus solis plerumque niti possumus, saepe unius eiusdemque

---

[1]) cf. quae Polybius XII, 11 de Timaeo dicit: ὁ γὰρ τὰς συγκρίσεις ποιούμενος ἀνέκαθεν τῶν ἐφόρων πρὸς τοὺς βασιλεῖς τοὺς ἐν Λακεδαίμονι καὶ τοὺς ἄρχοντας τοὺς Ἀθήνησι καὶ τὰς ἱερείας τὰς ἐν Ἄργει παραβάλλων πρὸς τοὺς ὀλυμπιονίκας.

[2]) Nam opinio eorum qui praeter archontem sub Romanorum imperio praetori (στρατηγὸς ἐπὶ τοὺς ὁπλίτας) eponymiae dignitatem tribuunt, quam perversa sit, in appendice demonstrare studebo.

civitatis tam varios simul praebent magistratus qui eponymi locum obtinere videantur, ut nullo modo omnes eos pariter illius dignitatis participes fuisse sumere possimus, praesertim cum per se sit veri dissimile ad tempora certa ratione designanda modo hunc modo illum magistratum anno nomen dedisse. Quare cum de hac quaestione universa nemo ad id temporis egerit, Georgio Kaibel auctore mihi proposui omnibus qui exstant titulis collectis componere et examinare, quae inde doceamur de eponymis qui dicuntur magistratibus.

Totam hanc disputationem consentaneum est ad ea tantum Graecarum civitatum tempora spectare posse, quorum tituli nobis servati sunt. Horum cum maxima pars Alexandro Magno recentior sit, in eo praecipue versabimur Graeciae reipublicae statu, qualis fuit inde ab illo tempore usque ad romanam aetatem. In titulis vero enumerandis et pertractandis hanc sequemur rationem, ut eas civitates quarum tam pauca exstant exempla, ut nihil certi ex eis cognosci possit, mittamus eosque tantum proferamus titulos, qui ad rem quam proposuimus illustrandam alicuius momenti esse videntur.

Jam vero ut in re ipsa tractanda recte progrediamur, abiciamus necesse est opinionem eorum, qui ubicunque genetivo casu (aut addita aut omissa praepositione ἐπὶ) titulis praescriptos deprehendunt magistratus, eponymos latere arbitrantur, ita ut interdum eiusdem civitatis modo huic modo illi magistratui eponymiae honorem vindicent [1]. Id potius maxime nobis agendum est, ut ubicunque hunc in modum plurium magistratuum fit mentio, et qui vere eponymi habendi sint quaeramus et causas explicemus cur alii commemorentur.

Atque quo facilior sit in tanta rerum copia conspectus, magistratuum qui proprie sunt eponymi *tria distinximus genera:* unum eorum qui inter sacerdotes sunt numerandi, alterum eorum magistratuum civilium qui (ut archon Atheniensium) praeter eponymiae dignitatem nullam fere habent in re publica potentiam; tertium denique eorum qui (ut apud Lacedaemonios ephorus) summa usi potestate illo quoque munere functi sunt.

---

[1]) cf. Reinach, Traité d'épigraphie grecque, p. 349, qui e. g. profert haec: on trouve (scl. comme éponyme) l'ἐπιμηνιεύων et l'ἐπιστάτης à Sigée, le boularque, le prostate et le théocole en Achaïe, l'ἐπίτροπος et le πραγματευτής à Ormélé, etc.

Caput I.

Primo igitur capite agemus de sacerdotibus, quorum nominibus annos publice significatos esse tituli demonstrant. Quae res probe distinguenda est ab noto more sacerdotis nomen inscribendi titulis ad res sacras spectantibus, de quo deinceps verba facere licebit. Id autem de quo nos dicimus pertinet ad eos sacerdotes, qui proprie eponymi tenent locum, quorum nomina praescribi solebant decretis et publicis et privatis. Atque hanc temporis definiendi rationem apud Graecos in usu fuisse praeter inscriptiones discimus ex Thucydide, qui II, 2 haec habet: τέσσαρα μὲν γὰρ καὶ δέκα ἔτη ἐνέμειναν αἱ τριακοντούτεις σπονδαὶ αἳ ἐγένοντο μετ᾽ Εὐβοίας ἅλωσιν. τῷ δὲ πέμπτῳ καὶ δεκάτῳ ἔτει, ἐπὶ Χρυσίδος ἐν Ἄργει τότε πεντήκοντα δυοῖν δέοντα ἔτη ἱερωμένης καὶ Αἰνησίου ἐφόρου ἐν Σπάρτῃ καὶ Πυθοδώρου ἔτι τέσσαρας μῆνας ἄρχοντος Ἀθηναίοις, quem ad locum scholiasta adnotat: ἡ Χρυσὶς ἱέρεια ἦν ἐν Ἄργει. ἠρίθμουν δὲ τοὺς χρόνους οἱ Ἀργεῖοι ἀπὸ τῶν ἱερειῶν. Praeter Argos iam non paucae sunt civitates, quas secundum sacerdotes annos computasse verisimile fit ex inscriptionibus. Neque vero spectat hic usus, ut credat aliquis, ad certas quasdam Graeciae civitates; occurrunt enim eiusmodi eponymi apud gentes et Doricas et Jonicas, in insulis non minus quam in continenti.

Referendae sunt huc fere haece:

Mileti στεφανηφόρος (cf. Dittenberger, Sylloge 240, III; ibid. 314). *Priene* στεφανηφόρος (Brit. Mus. III, n. 403; Journal of Hell. Stud. IV, p. 238; Le Bas-Wadd. Asie min. 202). *Erythris* ἱεροποιός (Dittenb. 159 et 172; Μουσ. καὶ βιβλ. τῆς εὐαγγ. σχολ. ἐν Σμύρνῃ I (a. 1875) p. 128, ibid. II, n. 126). *Smyrnae* στεφανηφόρος (Dittenb. 171; C. J. G. 3386; Μουσ. κ βιβλ. II, 2, p. 37). *Ilii Novi* ἱερεύς (C. J. G. 3597). *Olbiae* ἱερεύς (Dittenb. 248 = Inscr. Pont. Eux. I, p. 30). *Tomis* ἱερεύς (Mittlg. a. Oesterr. 12, p. 129 et 14, p. 24). *Cariae in oppidis* στεφανηφόρος (*Jasos,* Brit. Mus. III, n. 441; Bullet. de Corresp. Hell. XIII, p. 34; *Mylasis,* Le Bas-Wadd. n. 394; ibid. 409 etc.). *Rhodi* ἱερεύς (C. J. G. 2905 = Brit. Mus. III, n. 403; Journ. of Hell. Stud. II, p. 356. C. J. G. 3656). *Tegeae* ἱερεύς (Le Bas-Wadd. 340 b = Cauer, Delect. 461). *Siciliae* in oppidis: *Syracusis* ἀμφίπολος (Diodor. XIV, 70); *Gelae* ἱεραπόλος (Kaibel, Inscr. Sicil. et Ital. 256 sq). *Agrigenti* ἱεροθύτης (Kaib. 952). *Segestae* ἱεροθύτης (Kaib. 290). *Melitae* in insula ἱεροθύτης (Kaib. 953). *Dymis* (in Achaia) θεοκόλος (Dittenb. 242; 316; Collitz,

Sammlg. d. griech. Dial. Inschr. 1613). in *Acarnania* (foedus) ἱεραπόλος (Le Bas-Wadd. 1042 = Oberhummer, Acarn. p 268. ibid. p. 263). *Oropi* ἱερεύς ('Εφη μ. ἀρχ. 1885, p. 104; ibid. 1886, p. 61; ibid. 1889, p. 22 etc.). in *Lycia* ἀρχιερεύς (Benndorf-Niemann, Reisen in Lyk. p. 71 et 77; Petersen-Luschau, Reisen in Lyk. p. 103 etc.).

Cuius sacerdotii ratio cum saepius parum recte intelligatur cumque vulgata sit opinio summum in republica magistratum esse etiam eponymum, non raro fit, ut sicubi sacerdotes praescripti occurrunt, ab interpretibus duo eiusdem civitatis statuantur eponymi, alter sacer alter civilis; quae sententia quam infirmis argumentis posita sit, in singulis tractandis nobis apparebit. Nam semper tenendum est unum esse reipublicae proprie eponymum, qui quominus sacerdos sit nihil impedit. Neque mirum videri potest multis in civitatibus sacerdotes tanta fuisse auctoritate, si perpendimus quam arcte inter se cohaereant Graecorum res sacrae et publicae; huc accedit, quod in plerisque civitatibus sacerdotes primi fastis componendis operam navabant (cf. A. Schmidt, Handb d. griech. Chronolog. p. 404), unde haud scio an in morem venerit, ut singuli anni sacerdotis nomine appellarentur. Sed iam ad singula transeamus.

Mileti civitatis tituli et publici et sacri stephanephori nomen in fronte gerunt. De huius magistratus muneribus quamquam nihil certum habemus, tamen is ut in plerisque Cariae oppidis inter sacerdotales magistratus numerandus esse videtur. Verisimile est hunc stephanephorum principem fuisse sacerdotum qui Branchidis prope Miletum Didymaei Apollinis sacra administrare solebant (cf. Heller, De Cariae Lydiaeque sacerdot. p. 237). Sacerdotem Apollinis eum fuisse apparet e titulo, in quo στεφανηφόρος τοῦ θεοῦ nominatur (C. J. G. 2855: Ἐπὶ στεφανηφόρου τοῦ θεοῦ [Ἰθ]υκρίτου τοῦ μετὰ Μηνόδωρον . . .). At si Gelzer (De Branchidis p. 32) eumque secutus Heller (l. l.) contendit stephanephori nisi in titulis sacris nullam fieri mentionem eumque pro sacro, ut πρύτανιν fortasse pro civili eponymo habendum esse, uterque in errore versatur. Duos enim habemus titulos publicos, quibus stephanephori nomen praescriptum est. Dittenb. 240, III: ἐπὶ στεφανηφόρου Εἰρηνίου τοῦ Ἀσκληπιάδο[υ, μ]ηνὸς Καλαμαιῶνος δευτέρᾳ . . . . . . ἐκκλησία συνήχθη κυρία e. q. s. titulus qui medio fere altero a. Chr. n. saeculo tribuendus est, iudicium continet quod fecerunt Milesii in litibus inter Messenios et Lacedaemonios diiudicandis. Tum ibid. 314 habemus catalogum eorum qui Milesiorum civitate donati sunt: ἐ]πὶ στεφανηφόρου Ὀλυμπίχου τοῦ Ἀριστοτέλου, οἵδ[ε ἐγ]ένοντο πολῖται κατ' εὐεργεσίαν αὐτοὶ καὶ οἱ ἔκγονοι saecul. III vel II. a. Chr.). Videmus igitur Mileti annos

non summi reipublicae magistratus, sed sacerdotis nomine significatos esse. Nam summum reipublicae locum obtinuisse videntur prytanes, ut colligere licet e titulo Dittenb. 240, v. 29: Μιλησίων οἱ πρυτάνεις καὶ οἱ ᾑρημένοι ἐπὶ τῇ φυλακῇ Ἠλείων τοῖς ἄρχουσι καὶ τοῖς συνέδροις χαίρειν. Quocum conferendus est Aristotelis locus, Polit. V, 4: ἐγένοντο δὲ τυραννίδες πρότερον μᾶλλον ἢ νῦν καὶ διὰ τὸ μεγάλας ἀρχὰς ἐγχειρίζεσθαί τισιν, ὥσπερ ἐν Μιλήτῳ ἐκ τῆς πρυτανείας. πολλῶν γὰρ ἦν καὶ μεγάλων κύριος ὁ πρύτανις. Hi igitur prytanes diversi sunt ab eis, qui ut Athenis quotidiana senatus negotia curabant, sunt potius summi reipublicae magistratus, qui posteriore quoque aetate magnam potentiam habuisse videntur. Nusquam vero invenimus eos eponymi locum tenentes ut Gelzer et Heller suspicari videntur. Prytanum munus usque ad imperatorum aetatem perdurasse inscriptiones ostendunt. Atque his temporibus persaepe deprehendimus eos statuas vel tale quid publice dedicandas curantes. cf. Rev. arch. N. S. XXVIII, p. 109: Τ]ὸν κράτιστον . . . . ἐπίτροπον τοῦ Σεβαστοῦ Κάστριον . . . . ἡ λαμπροτάτη Μιλησίων πόλις τὸν ἑαυτῆς εὐεργέτην. Προνοησαμένου τῆς ἀναστάσεως τοῦ ἀρχιπρυτάνιδος τὸ β̄ Ἀντωνίου. . . . porro C. J. G. 2878: Τῆς πρ]ώτης [τ]ῆς Ἰων[ίας ᾠ]κισμένης καὶ μητροπόλεως . . . . . . Μιλησίων πόλεως ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος Αὐτοκράτορα Καίσαρα . . . . Λούκιον Σεπτίμιον Σεουῆρον . . . . , ἐπιμεληθέντος τοῦ ἀρχιπρυτάνιδος Κτησίου . . . καὶ τῶν συναρχόντων αὐτοῦ etc. Hic igitur princeps prytanum est, qui mandata civitatis exsequenda curat. Quae cum ita sint, Waddingtonium titulum apud Le Bas (Voyage arch. V) 210 non recte supplevisse apertum est. Sic fere supplendum erit: Αὐτοκράτορα Καίσαρα] Τραιανόν . . . [κατὰ τὰ γ]ραφέντα ψηφίσματα . . . [ἐπιμεληθέντος Λο]υκίου Δασουμίου . . . Φλα]βίου Σολίδου [ἀρχιπρυτά]νιδος τὸ β̄. Waddington qui archiprytanem eponymum esse voluit, ita supplevit titulum: ἐπιμεληθέντος Λ]ουκίου Δασουμίου, [ἐπὶ Τίτου Φλα]βίου Σολίδου [ἀρχιπρυτά]νιδος τὸ β̄. Apparet hunc titulum eiusdem generis esse atque illos quos supra attulimus.

Stephanephori autem eponymia inde maxime cognosci potest, quod secundum eum ceterorum magistratuum tempora computantur ut in titulo C. J. G. 2879: Ἰθ]υκλῆ Νι[κ]ά[νδ]ρου, ταμι[εύ]σαν[τα] ἐπὶ στεφανηφόρου Ἀντιόχου.

Sed iam alii sunt tituli, in quibus praeter magistratum qui proprie est eponymus alii adscribuntur, ad quos res de qua agitur in titulo pertinere videtur. Sic in titulis sacris stephanephoro eponymo alii sacerdotales magistratus addi solent. cf. C. J. G. 2852 = Dittenb. 170: Ἐπὶ στεφανηφόρου Ποσειδίππου, ταμιευόντων τῶν ἱερῶν

χρημάτων Τιμέα τοῦ Φύρσωνος (commemorantur sex), τάδε ἀνέθηκαν βασιλεῖς Σέλευκος καὶ Ἀντίοχος τὰ ἐν τῇ ἐπιστολῇ γεγραμμένα e.q.s. similes sunt n. 2853 et 2854. Paulo pleniora sunt praescripta in titulo C. J. G. 2855: Ἐπὶ στεφανηφόρου τοῦ θεοῦ Ἰθ]υ[κ]ρίτου τοῦ μετὰ Μηνόδωρο[ν], προφητε[ύ]οντος δὲ Ἀντιπάτρου τοῦ Μ...., ταμιευόντων δὲ καὶ παρεδρευόντων ἐν τῷ ἱερῷ Δημ[ητρίο]υ τοῦ Πασίωνος (nominantur duo), τάδε ἀνετέθη τῷ Ἀπόλλωνι. eiusdem generis sunt tituli qui sequuntur usque ad. n. 2860. Vix quisquam crediderit hos omnes magistratus temporis definiendi causa appositos esse. Jam W. Hartel in libro cui inscripsit: Studien über attisches Staatsrecht u. Urkundenwesen (Wien 1878) demonstrabat ne in Atticis quidem titulis scribam (γραμματεύς) temporis designandi causa archonti eponymo additum esse, immo potius, ut nomine eius publica decreti fides confirmaretur. Atque cum in aliarum quoque civitatum decretis ubicunque plures occurrunt in praescriptis magistratus, ei semper pro tituli argumento varii sint, ne hos quidem sacerdotales magistratus quidquam ad temporis significationem valere putaverim. Recenseri videmus donaria a Milesiorum fautoribus in templo Didymaei Apollinis dedicata. Quae cum ad quaestorum (ταμίαι) provinciam pertineant, horum nomina consentaneum est idcirco praescribi, ut magistratus notentur, quorum auctoritate ille donariorum catalogus confectus sit. Similem rationem subesse necesse est, si praeterea nominantur propheta et παρεδρεύοντες, qui quin inter Didymaeos sacerdotes numerandi sint, non potest dubitari. Neque igitur mirum est, si modo duo (C. J. G. 2852) quaestores, modo sex (ibid. 2854), modo unus (ibid. 2858) in titulis memoratur, cuius rei si illorum magistratuum ad tempus significandum mentionem fieri sumeremus, nullam haberemus explicationem.

In universum vero, ud hoc statim moneam, mihi statuendum esse videtur, ubicunque in titulis pro rei argumento peculiares magistratus praescribuntur aut subscribuntur, eos non temporis definiendi causa apponi, sed ad rem de qua agitur aliquo modo confirmandam (quod nos dicimus *„Beurkundung“*). Qui magistratus cum in plerisque civitatibus annui sint eamque ob causam ut ex ipsa rei natura sequitur, non minus quam proprie eponymus annum per quem munere funguntur significare possint, semper fere eadem formula qua veri eponymi documentis solent inscribi, ita ut saepe difficile sit alterum ab altero distinguere. Praeterea animadvertendum est multos inveniri titulos, in quibus omisso eponymo qui tempus significaret magistratu illi tantum peculiares perscribuntur, quod ad eam quam statuimus de illis magistratibus sententiam optime quadrat. Cuius rei exemplum prae-

bemus titulum Milesium C. J. G. 2886: Περιγενὶ]ς? Βακχίου, προγόνων λειτουργῶν τῆς πόλεως, ποιήσασα τὰ μυστήρια πάντα εὐσεβῶς..... ἀνέθηκε δὲ τῇ Ἀρτέμιδι ὑδροφοροῦσα τὸ παραπέτασμα, προφητεύοντος Κλ. Θεοδότου, ταμιεύοντος Κλ. Ἡρακλείτου. Qua re male intellecta Heller (l. l. p. 239) adductus est, ut prophetam eponymum esse statueret.

Ilii Novi eponymiae dignitate usum esse sacerdotem discimus ex titulo C. J. G. 3597, a:

Ὁμολογία Ἰλιέων.

Ἐ]πὶ ἱερέως Ἀριστονόμου τοῦ Σ - - - [μηνὸς - - ἀπι]όντος, ὡς δὲ Σκαμανδρεῖς ἄ[γουσιν ἐπὶ.... Hic civitatis vere eponymum intelligendum esse docet formula ὡς ἄγουσιν et mensis nomen additum. Attamen si Swoboda (griech. Volksbeschlüsse, p. 96) et Doermer (De Graecorum sacrificulis, p. 72) „ἐπιμήνιον" Iliensium eponymum esse statuunt, in hunc errorem eo inducti sunt, quod tenentur iam falsa illa omnium opinione, qui ubicunque alicuius magistratus nomen genetivo positum deprehendunt, eponymum latere putant. Huius rei ansam dabat inscriptio C. J. G. 3595 = Dittenb. 156: Ἐπιμηνιεύοντος Νυμφίου τοῦ Διοτρέφους, ἐπιστατοῦντος δὲ Διονυσίου τοῦ Ἱππομέδοντος, Δημήτριος εἶπεν · ἐπειδὴ........ δεδόχθαι τῇ β[ου]λῇ καὶ τῷ δήμῳ e. q. s. Titulus qui decretum publicum continet, a. 278 a. Chr. tribuendus esse videtur. Jam Boeckh recte adnotavit ad hunc locum: „Cave ἐπιμήνιον putes eponymum esse anni." Atque hoc loco de temporis significatione cogitandum non esse primum apparet inde, quod nec mensis nec dies adicitur, deinde autem ex ipso vocabulo colligi potest „epistaten" praesidem contionis fuisse. Quare cum nihil impediat quominus „epimenium" simili munere functum esse putemus, mihi verisimile esse videtur eum senati praesidem fuisse ut epistaten contionis. Dittenberger tale quid sensisse videtur cum dicit: „Ilii quoque ut Athenis epistata princeps prytanum fuisse videtur, qui senatus populique conciliis praeerat. Quae ratio inter eum et ἐπιμήνιον intercedat, non liquet. Nam is quoque prytanibus, qui per mensem negotia quotidiana senatus curabant, praefuisse videtur." De epimeniis universis egit Doermer (l. l. p. 65 sq.). Inde apparet munera eorum pertinuisse et ad res publicas et ad sacras. Inter priores vero sine dubio numerandi sunt ei qui expressis verbis appellantur „ἐπιμήνιοι τῆς βουλῆς" (Lampsaci C J. G. 3641 b, v. 85) et „ἐπιμήνιοι τῆς ἐκκλησίας" (Istropoli, Epigr. Mittlg. a. Oest. VI, p. 36). Ex Smyrnaeo quoque titulo discimus epimenios respondisse eis prytanibus, qui alibi senatus negotia regebant. cf C. J. G. 3137, v. 30:

Καλεσάτωσαν δὲ οἱ ἐπιμήνιοι τῆς βουλῆς καὶ τοὺς πρεσβευτὰς τοὺς παραγεν[ομένους] ἐγ Μαγνησίας ἐπὶ ξενισμὸν εἰς τὸ πρυτανεῖον. Quare non dubito quin Ilienses epimenii similibus functi sint muneribus.

Sed quam perversae saepe sint virorum doctorum de eponymis magistratibus sententiae, demonstrant verba quae facit ad hunc locum Kersten (De Cyzico, p. 35): „equidem quamquam non nescio Ilii ἱερέα magistratum eponymum fuisse putari, tamen contenderim hoc in titulo magistratum eponymum ἐπιμήνιον esse.“ Arbitrari ille videtur decretis eiusdem civitatis modo hunc modo illum magistratum ut eponymum praescriptum esse.

Rhodi insulae summum reipublicae magistratum prytanem fuisse testantur Polybius[1]) et Livius[2]). Quare cum vulgaris sit opinio eponymum magistratum summum civitatis locum obtinere, a quibusdam etiam Rhodiorum prytanis in eponymorum numero habetur (cf. Journal of Hell. Stud. IV, p. 137 et Gilbert, Handbuch d. griech. Staatsaltert. II, p. 178, A. 3). Inscriptiones vero nullum praebent eponymum nisi (Solis) sacerdotem (ἱερεύς). Quem re vera civitatis eponymum fuisse docet titulus, in quo complurium civitatum temporis significandi rationes adhibitae inveniuntur, Brit Mus. III, n. 403 v. 38 = C. J. G 2905: ὡς μὲν Ῥόδιοι ἄγοντι ἐπ' ἱερέως Πρατο[φάνευς, μηνὸς . . . ., ὡς δὲ Σάμιοι . . . .] (a. est circa 305 a. Chr.). praeterea conferas Journal of Hell. Stud. II, p. 356, v. 29: Ἐπὶ ἱερέως Ἀγεστράτου Καρνείου ἑβδόμᾳ ἐξ ἰκάδος, ἔδοξε τᾷ βουλᾷ καὶ τῷ δάμῳ, Εὐφράτως Δαρδάνου Ν[ετ]τίδας εἶπε e. q. s., et C. J. G. 2525 b = Cauer 180: Ἐπ' ἱερέως Δαμαινέτου, Διοσθύου δωδεκ[ά]τᾳ, Βουλαγόρας Ῥόδιος εἶπε etc.

Titulus autem C. J. G. 3656 quo nisus Gilbert contendit apud Rhodios tempus interdum prytanis nomine definiri, nihil iam valet ad nostram quaestionem, postquam Schumacher (De republ. Rhod. p. 49) evicit legendum esse: ἐπὶ ἱερέως Ἀρατοφάνευς, Σμινθίου πρ[ώ]τᾳ ἐξ ἰ[κάδος, non cum Boeckhio: ἐπὶ ἱερέως Ἀρατοφάνευς Σμινθίου πρυτα[ν]ε[ύοντος]. Sed iam videamus quid ex Polybio de prytane eponymo colligendum sit. Locus unde quidam hoc prytanis munus repetere voluerunt, legitur 27, 7: παραγενομένων δὲ τῶν γραμμάτων εἰς τὴν Ῥόδον Στρατοκλέους πρυτανεύοντος τὴν δευτέραν ἑκμηνον, καὶ τοῦ διαβουλίου προτεθέντος, τοῖς μὲν . . . . . ἐδόκει πέμπειν τὰς ναῦς e. q. s.

---

[1]) Polyb. 15, 23, 4; 23, 3, 10; 27, 6, 13. [2]) Liv. 42, 45: qui (Hegesilochus) cum in summo magistratu esset — prytanin ipsi vocant —.

Totus sententiarum conexus manifestum reddit hoc loco temporis rationem nullam haberi; prytanis potius is intelligendus est magistratus, qui nomine senatus accipit litteras et de re, quae in illis postulabatur, populum in suffragium ire iubet. Nam Rhodiorum prytanes praefuisse constat senatus populique conciliis (cf. Swoboda, l. l. p. 89). Luculentissime hac re confirmatur quod statuimus de peculiaribus praescribendis magistratibus. Accedit aliud idque gravius. Cum formula τὴν δευτέραν ἕκμηνον doceamur Rhodiorum prytanes sex tantum menses munere functos esse, nemo non videt eum magistratum ad annum duodecim mensium significandum vix idoneum esse potuisse.

Quibus omnibus efficitur Rhodum quoque insulam eis civitatibus esse adnumerandam, quae non summi reipublicae magistratus, sed sacerdotis nomine ad annos computandos uti solebant. Rem ita se habere confirmant praeterea nonnulli Naxiorum tituli, qui haec habent praescripta: C. J. G. 2416b: Ἐπὶ δημιουργοῦ Ἀντιόχου, ἱερέω[ς] τῆς Ῥόδου Ἀρχελέως, μηνὸς Ἀρτεμισιῶνος, ... ἦρξαν τὰ Σαραπήια etc. Hos titulos ea aetate conceptos esse, qua Naxii una cum Andro Tenoque et Myndo parebant Rhodiis (paulo post a. 41 a. Chr.), recte monuerunt Curtius et Boeckh. Ea etiam causa est, cur duarum civitatum definiendi temporis rationes adhibitae sunt. Hic Rhodiorum eponymus sacerdos porro occurrit in inscriptionibus vasorum fictilium, de quibus disputavit Grundmann (Jahrb. Suppl. 17, p. 277 sq.) [1].

Restat iam titulus Camiro oppido oriundus, cui damiurgi nomen praescriptum est. Journal, IV, p. 136:

Ἐπὶ δαμιουργοῦ Σα . . . .
γραμματεύοντος Μ[άστρων . .

Fragmentum esse videtur decreti, quo nescio cui honores tribuebantur.

Sayce qui edidit titulum, hunc damiurgum Camirensium esse eponymum statuit. Sed cum omnes reliqui insulae tituli sacerdotis nomen praescriptum praebeant, ita ut totius insulae unus eponymus habendus sit, vix quisquam probaverit hanc viri docti sententiam. Magis est verisimile, cum scribae quoque mentio fiat, praesidem senatus vel contionis populi Camirensis esse intelligendum. Nam duos hos magistratus alicuius fuisse momenti ad decretum conficiendum nemo erit qui neget. Ad hanc sententiam optime quadrat, quod

---

[1]) Iam Kaibel ipse agnovit errorem, quo adductus πρύτανιν Rhodiorum eponymum esse statuebat D. Litteraturzeitg. 1890, p. 983 sq.

Camiri damiurgi, ut Rhodi capitis prytanes et Lindi epistatae, summo magistratu fungebantur (cf. Swoboda, p. 89)[1]).

Jam venimus ad *Olbiam* celeberrimam illam Graecorum coloniam in septentrionali Ponti Euxini ora sitam. Eponymum huius oppidi magistratum consentiunt viri docti vetustioribus temporibus sacerdotem fuisse, posterioribus archontum principem. Sed si accurate consideraveris titulos, quibus nisus Boeckh eumque secutus Latyschew illud statuendum esse censuit, facile concedes utrumque virum doctum in errore versari solumque sacerdotem eponymi partes Olbiae egisse. Unus qui sacerdotis eponymiam testatur titulus tertio vel altero a. Chr. n. saeculo exaratus legitur C. J. G. 2058 = Dittenb. 248 = Inscr. Pont. Eux. (Latyschew) I, p. 30, n. 16: Ἔδοξε βουλῇ καὶ δήμῳ, εἰκάδι. οἱ ἄρχοντες καὶ οἱ ἑπτὰ εἶπαν. ἐπειδὴ Ἡροσῶν τε ὁ Πρ[ω]τογένους...... ἐπί τε Ἡροδώρου ἱέρεω σιτοδείας οὔσης καὶ πωλουμένου τοῦ σίτου εἰς πέντε,.... v. 35: ἐπί τε τοῦ αὐτοῦ ἱέρεω ἀθρόων παραγενομένων Σαΐων ἐπὶ τὴν τῶν δώρων κομιδήν,.... v. 59: πάλιν τ' ἐπὶ Πλειστάρχο[υ] ἱέρεω σιτοδείας γενομένης ἰσχυρᾶς. Hoc titulo apparet sacerdotis nomine nihil nisi tempus significari posse. Sed alia sunt multa documenta, quae archontum nomina in fronte gerunt. Inscr. Pont. Eux. I, p. 52, n. 21: Ἐπὶ ἀρχόντων τῶν περὶ Ὀμψάλακον Εὐρησιβίου, μηνὸς Πανήμου ιβ', ἔδοξεν τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ (ἐπαινέσαι) τὸν δεῖνα. ibid. p. 58: Ὅσαι πόλεις ἐστεφάν[ω]σαν [Θ]εοκλέα Σατύρου ἥρωα χροσέοις στεφάνοις (sequuntur nomina urbium). haec excipit v. 5: ἐπὶ ἀρχόντων τῶν περὶ Θεοκλέα Σατύρου τὸ δ', μηνός..., ἐκκλησίας γενομένης πανδήμου, εισηγησαμένου Ἀντιφῶντος..., οἱ ἄρχοντες ειπαν. Ἐπειδὴ Θεοκλῆς Σατύρου ἀνὴρ γενόμενος etc. Primo igitur loco enumerantur civitates, quae Theoclem archontem qui paulo ante mortuus erat, coronis aureis donaverant, tum sequitur ipsorum Olbiopolitarum decretum, quod ad eundem Theoclem spectat coronandum. (Quod ad tempus tituli attinet, Latyschew hunc ad alteram II. p. Chr. saeculi partem, aut ad III. saeculi initia rettulit). Eandem praescriptorum formam exhibet p. 63, n. 24, decretum in

[1]) Denique nuper lux affulsit alii inscriptioni, cuius formula praescripta ab usitata abhorrebat. Brit. Mus. II, n. 343, p. 107 sic emendavit editor:

Ἐπὶ ναυ]άρχου Νικομήδους
.... υ νουμηνίᾳ, Διοκλῆς... ειπε.

Mirum videbatur, cur nauarchus hic eponymi locum obtineat. Nunc inscriptionibus Coi insulae editis (Oxford 1891) discimus hunc titulum non Rhodo, sed Coo insulae tribuendum esse; atque cum Coi eponymus magistratus sit μόναρχος, supplendum est: ἐπὶ μον]άρχου etc. (cf. Inscr. of Cos, p. 9).

honorem Callisthenis cuiusdam factum; hic quoque princeps archontum rogationem fert ad populum. Titulus ad tempora Septimii Severi spectare videtur. Praeterea reperiuntur complures tituli dedicatorii, quorum aliis praescribuntur, aliis subscribuntur magistratuum nomina. cf. Inscr. Pont. Eux. I, p. 109, n. 75: Ἀγαθῇ τύχῃ. Ἐπὶ ἀρχόντων τῶν περὶ Ποντικὸν Νεικίου οἱ περὶ Διογένην.. ἀγορανόμοι (nomina), Ἑ[ρ]μ[ῇ] Ἀγοραίῳ ἀνέθηκαν. similiter ibid. p. 110, n. 76 = C. J. G. 2078, ubi vero unius tantum archontis fit mentio: Ἐπὶ ἄρχοντος Μάρκο[υ] Οὐλπίου Πύρρου sq., quod idem occurit ibid. p. 119. Deinde commemoratur sacerdos aliquis ibid. p. 116, n. 78: Ἀχιλλεῖ Ποντάρχῃ. οἱ περὶ Νεικήρατον... νεώτερον ἄρχοντες (nomina), χαριστήριον. Ἱερατεύοντος Μουκουνακύρου τὸ δʹ. Maxime autem memorabilem titulum afferam denique hunc, Inscr. Pont. Eux. I, p. 128, n. 97: Θεοῖς πατρῴοις καὶ ὑπὲρ τῆς τοῦ [Αὐτοκράτορ]ος Λουκίου Σεπτιμίου Σευήρου..... ἡ Ὀλβιοπολειτῶν πόλις τὸ βα[λανεῖον....],..καθιέρωσαν, διέποντος τὴν ἐπάρχειον Κο....ου, πατρὸς δὲ πόλεως Καλλισθένου ..., [ἀρ]χόντων τῶν περὶ Καλλισθένην Δάδου, (sequuntur quattuor), ἀρχιτεκτονοῦντ[ος.. e. q. s. Olbiopolitae balneum dedicant pro Imperatoris Romani salute.

Videmus igitur annum significari nomine eius qui tum provinciae praeerat (ὁ διέπων τὴν ἐπάρχειον = provinciae praeses), quem temporis definiendi usum in provinciis Romanis inde ab Augusto viguisse vix est, quod moneam (cf. Mommsen, Röm. Staatsr. II, p. 261). Sed quemnam ad finem alii sunt additi magistratus? Ad haec ut respondeamus, necesse est primum exponere, quid sibi velint illi ἄρχοντες in titulis antea allatis praescripti. Quodsi Boeckh alii principem archontum eponymum esse habendum arbitrantur, maxime est mirandum, cur non eodem iure alios qui perscribuntur magistratus illo honore dignati sint, ut Callisthenem qui n. 97 πατὴρ τῆς πόλεως audit et architectum paulo infra nominatum, aut sacerdotem tit. 78 subscriptum, qui sine dubio diversus est ab eponymo illo in titulo Dittenb. 248 laudato. Sed res aliter se habet. Archontum collegii principi cum eponymo publico nihil est negotii. Nam ubicunque archontes titulis praefixos deprehendimus, causa cur memorentur perspicua fit ex ipso rei argumento. Atque primum quidem inscriptionibus ipsis docemur eos summos civiles fuisse magistratus, qui praesidebant contioni et omnes ad populum ferebant rogationes (cf. Swoboda, l. l. p. 131). Itaque si praescribuntur populiscitis (Inscr. Pont. Eux. I, p. 52 et 58), hoc non ad annum significandum fieri apparet, sed ad fidem publicam confirmandam, quamvis similitudo formulae adhibitae ad eponymiae dignitatem spectare videatur. Quin

etiam concedam tempus decreti ipsius definiri nominibus eorum magistratuum, qui aderant documento conficiendo, tamen cave numeres eos *peculiares* magistratus inter reipublicae eponymos. Cuius rei quae sit ratio maxime perspicitur ex tit. Inscr. Pont. p. 58. Hic recensentur honores decreti principi archontum, qui modo mortuus erat. Atque primum quidem enumerantur omni temporis significatione omissa honores a peregrinis civitatibus in mortuum delati, tum ipsorum Olbiopolitarum sequitur decretum hisce incipiens verbis: ἐπὶ ἀρχόντων τῶν περὶ Θεοκλέα Σατύρου τὸ δ', μηνὸς..., ἐκκλησίας γενομένης, ...οἱ ἄρχοντες εἶπαν. Nemo non videt hanc praescriptorum formam tantum ad ipsum decretum definiendum et publice confirmandum spectare eamque nihil valere ad annum publicum notandum.

In titulis dedicatoriis si commemorantur archontes, causa inde repetenda est, quod eo modo illa donaria dedicata esse quasi publice confirmatur aeque ac sacerdos (n. 78 ἱερατεύοντος τ. δ.) subsribitur, si templo vel deo alicui donum offertur. Quae si recte statuimus, facile explicatur etiam illud, quod modo totum archontum collegium cum principe (ἐπὶ ἀρχόντων τῶν περὶ τ. δ.) nominatur, modo unus tantum (C. J. G. 2078 = Inscr. Pont. p. 110 ἐπὶ ἄρχοντος τ. δ. et ibid. p. 119), quae inaequalitas ad certam temporis definiendi rationem vix esset idonea. In universum autem ex his omnibus cognoscere licet in plerisque documentis aeque ac vere eponymos magistratus perscribi eos peculiares, qui ad titulum edendum aliqua ex parte pertinent, sive praesident contioni et senatui, sive rogationes ferunt ad populum, sive in aliqua actione repraesentant civitatem et quae sunt similia. Iam nihil offendes in titulo Inscr. Pont. n. 97, ubi plures subscripti sunt magistratus: praeses provinciae (quem eponymum habendum esse non pro certo contenderim), pater civitatis, archontes, architectus. Omnes enim enumerantur ei magistratus, quibus auctoribus balneum exstructum et dedicatum est.

Quae cum ita sint, vix probetur Boeckhii sententia, qui eponymiae dignitatem a sacerdote ad archontum principem delatum esse sibi finxit. Nam cur subito in sacerdotis locum subrogatus sit archon, qui non recens erat magistratus (memoratur enim simul cum sacerdote in tit. Dittenb. 248), nullam video causam. Praeterea etiam Tomis, quod oppidum erat Olbiae vicinum sacerdotem eponymi munere functum esse iam supra adnotavimus.

Pauca commemoranda sunt de titulis *Erythraeis*. Qua in civitate ἱεροποιὸν eponymum fuisse docent cum tituli qui omnes fere eius nomen praescriptum exhibent (e. g. Dittenb 159: Ἐφ' ἱεροποιοῦ Ἀπατουρίου, μηνὸς Ἀρτεμισιῶνος, ἔδοξεν τῷ δήμῳ), tum maxime

apparet ex formula, qua aliorum magistratuum tempora computantur. cf. Dittenb. 159: οἱ στρατηγοὶ οἱ στρατηγήσαντες τὴν πρώτην τετράμηνον ἐφ' ἱεροποιοῦ Ἡγησαγόρου. item Μουσ. καὶ βιβλ. II, n. 126, ibid. I, p. 128. Rev. arch. N. S XI, p. 300. Maxime autem memorabilis est titulus apud Dittenb. n. 370, quo luculentissime probatur veram esse sententiam quam statuimus de perscribendis magistratibus peculiaribus.

Agitur enim de sacerdotiis, quae singulis annis venibant; anni significantur secundum ἱεροποιόν, ut a, 45: ἱερητεῖαι ἐπιπωλη[θεῖ]σαι, ἐφ' ἱεροποιοῦ Ἑρμοστράτου, [μηνὸ]ς Ποσειδεῶνος ὀγδόῃ ἐξιόν[τος. ibid. b, 94: αἵδε ἱερητεῖαι ἐπράθησαν ἐφ' ἱεροποιοῦ Ἀπατουρίου, μηνὸς Ληναιῶνος; tum autem legimus a, 25: ἐφ' ἱεροποιοῦ Ἑρμο-[κλ]είτου. μηνὸς Ληναιῶνος, αἵδε ἐπεπρά[θησ]αν ἱερητεῖαι ἐφ' ἐξεταστῶν τῶμ μ[ε]τὰ Ὑψικλείους καὶ Θευδότου. Vides igitur pari dicendi formula ac eponymos hoc loco eos commemorari magistratus, quibus auctoribus illae venditiones factae sunt. Nam ἐξετασταί sine dubio ei intelligendi sunt, qui pecunias et res sacras administrabant[1]). Idem valet de alio titulo agonistico, ubi eorum fit mentio magistratuum, quibus ducibus ludus editus est, Le Bas-Waddingt. V, 93: Ἐπ]ὶ ἱερέως Δημητρίου, ἀγωνοθέτου δὲ καὶ ἱε[ρέως οἵδε ἐνίκησαν etc.

Magnis difficultatibus implicata est de eponymo magistratu quaestio in titulis *Halicarnassiis*, quorum pauci qui exstant alius alium praefixum praebent magistratum, quos omnes in eponymorum numero haberi ab editoribus (cf. Bull. d. Corr. Hell. XIV, p. 92) non est, quod mireris. Antiquissimum quod servatum est documentum medio fere V. a. Chr. saeculo exaratum est atque hanc praescriptorum exhibet formam: Dittenb. 5 = Bechtel, Inschr. d. jon. Dial. n. 238: Τάδε ὁ [σύ]λλο[γος] ἐβουλεύσατ[ο] ὁ Ἁλικαρνατ[έω]ν καὶ Σαλμακι[τ]έων καὶ Λύγ[δα]μις ἐν τῇ ἱερῇ ἀγορῇ μηνὸ[ς Ἑ]ρμαιῶνος πέμπτῃ ἱσταμέ[νου ἐ]πὶ Λέοντος πρυταν[εύον]το[ς τ]οῦ Ὀατάτιος κα[ὶ] Σα[ρυσσώ]λλ[ου τ]οῦ Θεκυιλώνε[ω . . . τοὺ]ς μ[νή]μονας μὴ παραδιδό[ναι] c. q. s. Continetur hoc titulo pactum inter Lygdamim, Cariae dynastam, et Halicarnassenses et Salmacitas factum. Prytanem autem non esse eponymum apparet ex ipsa collocatione verborum ἐπὶ Λ. πρυτ., quae non ad universam temporis definitionem, sed tantum ad legem de qua agitur illo prytane auctore latam pertinere videntur. Huc accedit quod Halicarnassiorum aeque ac Atheniensium

---

[1]) cf. etiam Feldmann, Dissert. phil. Argent. IX, p. 192, ubi de exatastis nonnulla adduntur.

prytanes non totum per annum, sed singulos tantum per menses munere functos esse multi demonstrant tituli (Dittenb. 371, v. 19 τῶν πρυτανευόντ[ω]ν τὸμ μῆνα τὸν Ἡράκλειον; Newton, Halicarn. vol. II, 2, app. III, n. 2 (p. 687) [μηνὸς] Ποσειδεῶνος, ἐπὶ πρυ]τανείας τῆς] μετὰ Διοδότου τοῦ δ.)[1]). Quare additur prytanis non ut eponymus, sed ut epistates prytaniae, qua praeside pactio illa facta est. Quantopere vero abhorreat ab eponymiae dignitate prytanis, maxime intellegitur e titulo apud Newton, Halic. II, p. 687, III a. Chr. saeculo exarato: Ἐπὶ ..... Ἀρ]ετάονος? Πίσω[νος μηνὸς] Ποσιδεῶνος, ἐπὶ πρυ[τανεύοντος τοῦ δ.] μετὰ Διοδότου το[ῦ δ.], γραμματεύοντος (τ. δ.) τοῦ Νουμαγάθου(?), [ἔδοξε τῆ] βουλῆ καὶ τῷ δήμῳ, cuius primo versu quin vere eponymi nomen lateat non potest dubitari. Prytanum autem potentia cum latissime patuisse videatur in rebus civilibus agendis, non est mirandum, si saepius eorum nomina perscripta deprehendimus. Sic etiam ludos scaenicos agendos pertinuisse ad eorum provinciam manifestum reddit titulus Inscr. of Cos, p. 27, n. 13 = Bull. d. Corr. Hell. V, p. 211: - - εὐν]οίας τῆς εἰς τὸν δῆμον καὶ ἀναγγεῖλαι [τ]ὸν στέφανον ἐν τῷ θεάτρῳ ὅταν ἡ πόλις πρῶτον ἄγῃ χορικοὺς ἀγῶνας τῇ δεύτερον ἡμέρᾳ τῶν κυκλίων, τοὺς δὲ πρυτάνεις ἐφ' ὧν ἂν ὁ ἀγὼν συντελῆται ἐπιμεληθῆναι μετὰ τοῦ ἀγωνοθέτου ὅπως ἂν ἡ ἀναγγελία γένηται τοῦ στεφάνου ἐν τῷ θεάτρῳ, unde docemur, quanta diligentia et cautio adhibenda sit in eponymis statuendis magistratibus.

E reliquis titulis verum reipublicae eponymum mihi exhibere videtur Hallicarnassiorum decretum servatum apud Josephum Ant. 14, 10, 23, quo Iudaeis illas per regiones dispersis suae confitendae religionis datur libertas: Ἐπὶ ἱερέως Μέμνονος τοῦ Ὀρεστείδου, κατὰ δὲ ποίησιν Εὐωνύμου, Ἀνθεστηριῶνος . . ., ἔδοξε τῷ δήμῳ, ... Ἰουδαίων τοὺς βουλομένους ἄνδρας τε καὶ γυναῖκας τά τε σάββατα ἄγειν καὶ τὰ ἱερὰ συντελεῖν κατὰ τοὺς Ἰουδαικοὺς νόμους[2]). Nam etiamsi esse potest, ut quoniam in titulo ad res sacras spectante versamur, eam ab causam nominetur sacerdos, tamen vix crediderim quae a populo contione sunt decreta, ea sacerdoti procuranda vel exsequenda esse mandata. Ne illud quidem adversatur, quod alio titulo νεωποιός eponymi personam gerere videtur. cf. C. J. G. 2656 = Dittenb. 371: Ἐπὶ ν]εωποιοῦ Χαρμύ(λ)ου (τ)οῦ Διαγόρου, μηνὸς Ἡρα(κλ)[ε]ίου, πρυτανείας τῆς

[1]) cf. Swoboda, l. l. p. 77.

[2]) Quod ad aetatem decreti attinet, anni esse 45 a. Chr. demonstrat L. Mendelssohn in Act. soc. phil. Lips. tom. V, p. 224.

μετὰ Μενεκλεῦς τοῦ Φορμίωνος, [γρ[αμματεύοντος Διοδότου..., ἔ[δ]οξε (τῇ) [βουλ]ῇ καὶ τῷ δάμῳ, γνώμη πρυτάνεων. [ὁ] πριάμ(ε)[νος τ]ὴν ἱερητείαν τῆς Ἀρτέμιδος...π[αρ]έξετα(ι ἱ)έρειαν ἀστὴν e. q. s. Hic enim cum agatur de sacerdotio Dianae locando seu vendendo, νεωποιὸν pro certo habeo commemorari ut magistratum sacerdotalem, qui rem quam fieri populus iusserat, curaret exsequendam. Hoc facilius ut credam adducor eo, quod habemus titulum qui eiusmodi res sacras ad neopoei officia pertinuisse testatur. Dittenb. 6: [Ο]ἵδε ἐπρίαντο παρὰ τοῦ Ἀπόλλωνος κ[αὶ τῆς] Ἀθηναίης.. γέας καὶ οἰκίας . . . βεβαιοῦν τ[οὺς θ]εοὺς τὸν ἀΐδιον χρόνον, συμβεβαιοῦν δὲ το[ὺς] νεωποίας τῶν θεῶν τοὺς ἀεὶ ὄντας καὶ ἐξορκίζε[σ]θαι κατὰ ταῦτα. His expositis fieri non posse concedes, quin uni sacerdoti tribuamus eponymiae honorem. Ex omnibus autem titulis perspicere licet apud Halicarnassios non minus quam eponymum peculiares si opus esset magistratus perscriptos esse. Praeter eos quos attulimus occurrit saepius in decretis publicis scriba (γραμματεύς, (cf. Bull. d. Corr. Hell IV, p. 395, Dittenb. 371, Newton, Halicarn. II, p. 687), quem suo iure hunc locum tenere ex ipsa rei natura apparet. Tum stephanephorum et gymnasiarchos praefixos videmus catalogo epheborum, qui in civium numerum recepti esse videntur: Newton, Halic. II, p. 705: Ἐπὶ στεφανηφόρου Τ. Φλα. Δημητρίου Ἰουλιανοῦ οἵδε ἀνέβησαν εἰς ἄνδρας, γυμνασιαρχούντων τ. δ. εἰς ἱερῆ Ἀπολλώνιον . . . . . . Similiter compositi sunt stephanephori nomine omisso ibid. n. 12, p. 701: Οἵδε ἀνέ[βησαν εἰς ἄν]δρας εἰς ἱέρειαν Αὐρηλίαν Μενε....., γυμνασιαρχούντων τ. δ. et n. 12a, b, ubi formulam εἰς ἱέρειαν vel εἰς ἱερῆ (12, a) intelligendam esse „before the priest or priestess" monuit editor Britannus.

In plerisque *Cariae* urbibus stephanephorum[1]) eponymi munere functum esse iam supra monuimus. Multos nomen eius magistratus in

[1]) De huius magistratus officiis quamquam pauca nobis tradita sunt, tamen vix dubitari potest, quin inter sacerdotes numerandus sit. Ipsum muneris nomen sacram indicare videtur officii originem. Στεφανηφόρος enim est, qui coronam gestat (cf. Ἱππόλυτος στεφανηφόρος Euripid.), atque hoc quidem sensu omnes sacerdotes fuerunt στεφανηφόροι; nemo enim non coronatus ad peragendam rem divinam accessit (cf. Hermann, Gottesdienstl. Antiq. § 24). Cum „flamine" Romanorum comparatur στεφανηφόρος a Dionysio Halicarnassensi A. R. 2, 64. Deinde ex Athenaeo (5, 215 b et c) discimus Tarsi stephanephorum sacerdotem Herculis fuisse: καὶ Ταρσοῦ δὲ Ἐπικούρειος φιλόσοφος ἐτυράννησε, Λυσίας ὄνομα. ὃς ὑπὸ τῆς πατρίδος στεφανηφόρος αἱρεθεὶς, τουτέστιν ἱερεὺς Ἡρακλέους, οὐκ ἀπετίθετο τὴν ἀρχήν; Magnesiae quoque stephanephorum potissimum in

fronte gerentes titulos praeter alias praebent civitates hae: Jasos, Mylasa, Stratonicea, Aphrodisias, Olymos, Nysa. Qui tituli etiamsi plerumque ad res mere sacras (velut Jasenses ad Dionysia quae vocantur celebranda) pertineant, tamen ex aliis qui publica decreta continent stephanephori eponymia dignitas confirmatur. cf. Le Bas-Wadd. Asie min. n. 250: ἐπὶ στεφανηφ[όρ]ου Δημέου τοῦ Στησιόχου, γραμματέως δὲ Μένητος τοῦ δ..... [ἔ]δοξεν τῷ δάμῳ e. q. s. Idem docent alii Jasenses: Bull d. Corr. Hell. V, p. 493 = Dittenb. 77; C. J. G. 2673 b, 2675 b; Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 454. Mylasenses: Le Bas-Wadd. n. 394 et 403. Stratonicenses: Le Bas-Wadd. 519—20 = C. J. G. 2715, a, b. Bull. XI, p. 225 etc. Quibus in titulis eodem modo quo apud alios factum vidimus, saepissime coniunctus est cum eponymo alius quispiam magistratus pro rei de qua agitur natura. Scriba publicus additur in omnibus fere titulis, qui decreta aut senatus aut populi continent. Praeter alios afferre licet titulos hosce: C. J. G. 2715, a, b = Le Bas 519—20. ἐπὶ στεφανηφόρου Πτολεμαίο[υ....., ... Διομήδο]υς γραμματ[έως τ]ῆς βουλῆς εἰπόντος..... ἔδοξε τῇ βουλῇ α[ἱρεῖσθαι].... Le Bas 251 = Brit. Mus. III, n. 441, Ἐπὶ στεφανηφ[όρ]ου Δεμέου τοῦ δ., γραμματέως δὲ Μέτητος τοῦ δ. Γηφοριῶνος.

Ψηφίσματα παρὰ Ῥοδίων.

Ἔδοξεν τῷ δάμῳ περὶ ὧν Ἰασεῖς e. q. s. Apparet hic scribam memorari, ut decretum a Rhodiis Jasensibus missum publice confirmaret. praeterea cf. C. J. G. 2673 b, Journal of Hell. Stud. IX, p. 342, n. 4.

Tum exstant multi inter Jasenses titulos catalogi eorum, qui ad Dionysia celebranda aut conferebant pecuniam aut dabant ipsos actores. His omnibus documentis praescriptus est post stephanephorum eponymum ἀγωνοθέτης, sine dubio hunc ad finem, ut munera illa accepta testaretur. cf. Le Bas 253: Ἐπ[ὶ στε]φανηφόρου Πανταίνου

rebus sacris esse versatum elucet ex altero eiusdem Athenaei loco, 12, 533 d: Πόσσις δ'ἐν τρίτῳ Μαγνητικῶν τὸν Θεμιστοκλέα φησὶν ἐν Μαγνησίᾳ τὴν στεφανηφόρον ἀρχὴν ἀναλαβόντα θῦσαι Ἀθηνᾷ καὶ τὴν ἑορτὴν Παναθήναια ὀνομάσαι καὶ Διονύσῳ Χοοπότῃ θυσιάσαντα καὶ τὴν Χοῶν ἑορτὴν αὐτόθι καταδεῖξαι. Accedit titulis Elaeae in Mysia repertus (cf. Sitzgsb. d. Berl. Akad 1872, p. 68), in quo stephanephorus et sacerdos regis et agonotheta Attalo Philometori cotidie sacra facere iubentur: ἑκάστης τε ἡμέρας ὁ στεφανηφόρος καὶ ὁ ἱερεὺς τοῦ βασιλέως κ(αὶ ἀ)γωνοθέτης ἐπιθυέτωσαν λιβανωτὸν ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τοῦ Διὸς Σωτῆρος. Praeterea enumerantur saepe stephanephori una cum sacerdotibus. cf. Journal of Hell. Stud. IX, p. 339; Bull. d. Corr. Hell. XI, p. 145; C. J. G. 3190 etc.

τοῦ Ἱεροκλείους, [ἀγων]οθέτου δὲ Κυδίου τοῦ Ἱεροκλείους, [οἵδε] ἐπέδωκαν τῶν ἐπινευσάντων καὶ ἐπαγγει[λαμ]ένων. Ἀγωνοθέτης Κυδίας...[αὐλ]ητὴν Μνασίαν....καὶ εὗρεν [ἡ πά]ροδος δραχμήν, ἡ δὲ θέα ἐγένετο δωρεάν......Μενοίτιος Ἱεροκλείους κιθαριστὴν Ἀπολλώνιον etc. item n. 255 sqq. Similem ob causam memorantur archontes in titulo Mylas. apud Le Bas 394: Ἐπὶ στ[εφανηφόρου Ἑκαταίου τοῦ δ., [γραμμ]ατεύοντος βουλῇ Κόρριδος τοῦ δ...., καὶ ἀρχόντων Ἑκατόμνω τοῦ Ἀριστέου....., Διογένου τοῦ Ξενομένου (sunt tres), Ξανδικοῦ πεντεκαιδεκάτῃ, ἐπιστατοῦντος ἀρχό[ντων] Διογένου τοῦ Ξενομένου. ἔδοξε τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ, [γνώμη[ἀρχόντων Ἑκατόμνω c. q. s., unde cognoscimus archontes et praefuisse (ἐπιστατοῦντος) conciliis et rogationem tulisse ad populum (γνώμη). Quibus omnibus perpensis concedes, opinor, verum esse quod de praescriptis tituli cuiusdam Nysaei explicandis proferam. C. J. G. 2943 enim legitur: Ἱ]ερέως Ῥώμης καὶ Αὐτοκράτορος Καίσαρος Σεβαστο[ῦ Ἡρακλ]είδου τοῦ Ἡρακλείδου, Μασταυρείτου. στεφανηφόρου Διομ[ή]δους τοῦ Ἀθηναγόρου τοῦ Διομ[ή]δους, ἱερ[έ]ως Διὸς Καπετ[ω]λίου διὰ βίου, μηνὸς Γορπιαίου ἐννεακαιδεκάτῃ, πρὸ μιᾶς [ε]ἰδῶν Αὐ[γ]ούστω[ν], Κόσσῳ [Κ]ο[ρ]νηλίῳ Λεντύλῳ καὶ Λευκίῳ Πείσωνι ὑπάτοις. ἐπὶ γραμματέως τοῦ δ[ή]μου Ἡλιοδώρου τοῦ δ. ...., Ἀρτεμίδωρος Δημητρίου, Παπᾶς τῶν τῆς πόλεως στρατηγῶν, ἐπιμεληθεὶς ἀποκατέστησεν εἰς τὸ γραμματ[εῖ]ον τὰ ἱερὰ γράμματα περὶ τῶν θεῶν καὶ τῆς ἀσυλίας αὐτ[ῶ]ν..., ἐμφ[αν]ίσα[ς [Γ]ν[αί]ῳ Λέντλῳ Αὔγουρι τῷ ἀνθυπάτῳ καὶ ἀπο[δ]οὺς [τ]ὴν ὑπογεγραμμένην επιστολή(ν).

Ἐπὶ Διομήδους τοῦ Ἀθηναγόρου μηνὸς Δαισίου ιζ. Γναῖος Λέντλος... ἀνθύπατος Νυσαέων ἄρχουσι. sequitur epistula. Omnes qui hic praescripti sunt magistratus, Boeckh temporis definiendi causa appositos esse putat, quod nobis probari non potest. Eponymus intelligendus est solus stephanephorus. Alii cur additi sint, manifestum fit ex tituli argumento, de quo Boeckh haec habet: „Fuit asylum Nysae vel in vicinia. vestustum de hac re documentum ex tabulario (γραμματείῳ) prompserat Artemidorus, ut id proconsuli Asiae monstraret, qui videtur postulasse, ut quo iure niteretur asylum, ostenderent Nysaeenses; qua re peracta restituit Artemidorus documentum ac simul litteras tradidit, quibus asylum confirmarat haud dubie pronconsul.“ Cum igitur ἱερὰ γράμματα restituantur εἰς τὸ γραμματεῖον, ex eis quae in antecedentibus exposuimus elucet sacerdotem Romae et scribam nominari eam ob causam, ut rem ad ipsorum provinciam pertinentem ita peractam esse confirmarent, quare

verisimile est documentum ab his duobus viris ipsis confectum esse. Sed fortasse dixerit quispiam Boeckhii sententiam probandam esse ideo quod etiam consules Romani temporis definiendi causa additi sint. Concedo, ut iam supra monui, peculiares quoque magistratus temporis quoddam spatium significare posse intra suos fines, sed ita tantum, ut in eis solis nominentur documentis, quae res ad eorum officia spectantes continent. Res similis est ac si nos dicimus: das Gesetz oder die Verordnung kam unter dem X. Ministerium zu Stande, quibus verbis non tam tempus significare volumus quam auctorem sub quo aliquid confectum est. Nostro vero loco stephanephori publicam eponymiam maxime testatur initium epistulae, cui ad tempus notandum proprie tantum eponymus praescriptus est.

Quod ad aetatem attinet titulorum quos protulimus, plerique altero vel primo a. Chr. saeculo exarati sunt. Sed Imperatorum quoque temporibus stephanephorus eponymiae dignitatem servasse videtur[1]).

Iam vertamus nos ad *Doricas in Peloponneso civitates.* Ut Argos ita reliquas quoque plerasque has civitates secundum sacerdotes annos computasse opinari licet ex inscriptionibus. Sed cum plerumque res sint sacrae, de quibus agitur in titulis, non semper discerni potest, utrum vere eponymus an peculiaris magistratus praescriptus sit, ut Messenia et Mantinea nulla praebent documenta nisi quae manumissiones servorum continent aut catalogos sacerdotum. Epidauri

[1]) Iam liceat hoc loco verba facere de titulis nonnullis Jasensibus, qui ob mirum annos designandi morem memorabiles esse videntur. Saepius enim in eis legitur: ἐπὶ στεφανηφόρου Ἀπόλλωνος τοῦ μετὰ τὸν δεῖνα (cf. Le Bas-Wadd. n. 352), vel ἐπὶ στεφανηφόρου Ἀπόλλωνος τοῦ δευτέρου, τοῦ τρίτου, τοῦ τετάρτου, τοῦ πέμπτου μετὰ τὸν δεῖνα. Non est, cur fusius exponam Apollinis nomine in omnibus his titulis non hominem aliquem Jasensem significari sed ipsum deum. Nec minus manifestum est verba ἐπὶ στεφανηφόρου Ἀπόλλωνος interpretanda esse: sub stephanephoro Apolline, non sub stephanephoro Apollinis, quod esset graece ἐπὶ στεφ. τοῦ Ἀπόλλωνος (cf. Brit. Mus. 403, v. 126, ἐπὶ στεφανηφόρου τοῦ θεοῦ τοῦ μετὰ Νίκανδρον). Cuius rei quae a viris doctis prolatae sunt explicationes nihil probant, velut Waddington hoc ideo factum esse censet, ne memoria civium nominum multitudine opprimeretur, sed ut uno anno certi cuiusdam stephanephori nomine designato sequentes deinceps simplicibus numeris distinguerentur. Iam vero cum titulis nonnullis (Bull. IX, 127, C. J. G. Add. 3847) doceamur stephanephori munere non fungi potuisse nisi ditissimum quemque atque accidere potuisse, ut homines huic muneri pares deessent, alia explicationis patere videtur via. Scilicet cum nullo modo inveniretur, qui munus illud grave subire posset, pecuniae ex aerario

autem Aesculapii sacerdotem eponymi munere functum esse confirmatur tit. Ἐφημ. ἀρχ. 1887, p. 11 = Collitz 3025: Ἐ]πὶ στραταγ]οῦ τῶν Ἀ]χαιῶν Αἰγιαλεῦς, ἐν δ' Ἐπιδαύρῳ ἐπ' ἰαρεῦς [το]ῦ Ἀσκλαπι[οῦ Δι]ονυσίου. κατὰ τάδε ἔκριναν τοὶ Μεγαρεῖς τοῖς [Ἐπ]ιδαυρίοις καὶ Κορινθίοις περὶ τᾶς χώρας ᾶς ἀμφέλλεγον e. q. s. Duplex temporis definitio inde explicatur, quod titulus exaratus est ea aetate, qua Epidaurus particeps erat foederis Achaici, i. e. intra annos 243—233 a. Chr.

Si vero Trozene aut Hermione interdum mentio fit praetoris (στρατηγός) in titulis praecipue dedicatoriis[1]), cave praepropere eponymum illum statuas. Saepissime enim, ut infra videbimus, in aliis quoque civitatibus sub Romanorum imperio strategus in eiusmodi titulis perscribitur, quo non tam tempus indicari mihi videtur quam auctor, qui illa negotia civitatis nomine exsequenda curabat, praesertim cum ut Athenis etiam alibi praetorem illis temporibus summum inter magistratus locum tenuisse verisimile sit.

Magnopere dolendum est Argivorum, quos secundum sacerdotem mulierem (ἱέρειαν) annos computasse scimus, nullos ad nos pervenisse titulos, qui praescriptorum formam exhibeant. Unus exstat V. fere exeunte a. Chr. saeculo exaratus (cf. Kirchhoff, Stud. z. Gesch. d. griech. Alphab., p. 100), cuius in fine hi subscripti sunt magistratus, Le Bas V, 1 = Collitz 3277: Ἀρήτευε Λέων [β]ωλ(ᾶ)ς σευτέρας, Ποσιδάων γρο[φε]ὺς βωλᾶς, Πέριλλος πεδιών (= μετεών „Beisitzer", cf. Hoffmann, De mixt. Gr. ling. Dial. 51). Evidentissime ergo inde efficitur non ad tempus notandum, sed ad rem de qua agitur confirmandam peculiares magistratus recenseri solere. Nam cum contineatur hoc titulo arbitrium, quo Argivi diremerant controversiam

dei depromebantur atque deo ipsi stephanephori dignitas impertiebatur. Ut etiam Athenis (C. J. A. III. 1054. 1055) Minerva Polias inter prytanes recensetur.

Hoc si statuimus, facile explicatur formula: τοῦ δευτέρου, τοῦ τρίτου μετὰ τὸν δεῖνα. Nam si plures annos deinceps deficientibus viris idoneis deus munere fungebatur, singuli anni distingui debebant. Quod comparare licet cum Atticorum ratione in archontibus potissimum observata: C. J. G. 113 ἐπὶ — ἄρχοντος τοῦ μετὰ Φαναρχίδην, ubi Boeckh eum archontem summo alius anni magistratui homonymum fuisse eamque ob causam, ut distingui inter se commode possent, notam illam additam esse docuit.

[1]) cf. Le Bas-Wadd. 157b: Αὐτοκράτορα Καίσαρα Λ. Σεπτίμιον Σέβηρον Σεβαστὸν . . . . ἡ πόλις ἐπὶ στρατηγοῦ Μ. Αὐρηλίου τοῦ Σ. similiter ibid. 158, et 159g; Τὸν Παρθένωνα τόνδ' ἔτε[υξεν ὁ δ . . .] ἐπὶ στρατηγοῦ τοῦ δ.

inter Melum et Cimolum insulas exortam, non est dubium quin perscribantur ei magistratus, qui nomine arbitrum iudicium de illa re factum publice testantur. Quare non faciam cum Prellwitzio (apud Collitz), qui ἀρήτευε „ἱερεὺς ἦν“ interpretandum esse censet, sed praesidem senatus significari puto atque ἀρήτευε idem valere ac ἀρίστευε, quod utrumque vocabulum eodem sensu adhibitum esse videtur in titulis Mycenaeis (cf. Swoboda, p. 171).

Denique inter eas civitates quae sacerdoti eponymiae honorem tribuerunt, referenda est Tegea. cf. Le Bas 340 b = Cauer 461: Ἐπὶ Σωστράτῳ ἱερεῖ, ἔδοξε τῷ δάμῳ τῶν Τεγεατᾶν Δαμάτριον Δαματρίω Αἰτωλὸν πρόξενον εἶναι, in fine additur: ἐπὶ στραταγοῖς τοῖς περὶ Χρέμωνα. Qui titulus ideo maxime est memorabilis, quod et *prae*scribitur eponymus et *sub*scribuntur magistratus alii. Saepe fieri constat, ut quae praescribi solent decreto partes, eaedem ad finem ponantur (cf. Swoboda sub v. Postscript, p. 225 sq.), sed plane aliter res iudicanda esse mihi videtur, si singulae illae partes divelluntur. Quae cur fiant, nullam aliam video causam quam ut distinguantur inter se magistratus ei qui significent tempus, et ei qui documentum confirment. Atque valde miror Swobodam eam postscriptorum formam ad tempus definiendum adhibitam esse statuere („Doppelte Eponymie“, p. 227). Quid haec duplex temporis definitio?

Accedunt alii tituli quibus nostram sententiam probari facile concedes. cf. Dittenb. 317 = Collitz 1234. Ἔδοξε τῇ πόλει τῶν Τεγεατῶν Ἀγήσανδρον . . . Θεσσαλὸν . . . πρόξενον εἶναι . . sub finem: προστάτα(ι) τοῦ δάμου, Λύκιος, Θεόκριτος, Ἀλέξανδρος. στραταγοὶ (undecim sequuntur nomina), ἵππαρχος Τείσανδρος, γραμματεὺς Ἀγέας. ἱερεὺς τῆς Ἀθηνᾶς Εὐαίνετος. similiter Collitz 1235. Nemo non videt similem rationem hic subesse, etiamsi discerni nequit, utrum omnes qui appellantur magistratus interfuerint conficiendo decreto, an recenseantur ad rem publice confirmandam omnes in republica summi magistratus. Quam subscribendi formam ceteris quoque Arcadiae civitatibus propriam esse demonstrant tituli Stymphalici. Bull. VII, p. 491: .... Κ]αλλίαν Καλλισθένους Τεγεάταν πρόξενον εἶναι . . . Δαμιοργοὶ [Μ[αντίας (4), γραμματεὺς Θευξετίδας. προστάται Χαιρωνίδας (2), προμνάμων Ξένων, itemque ibid. p. 490.

Ceterum huius rei multa reperiemus exempla in aliis civitatibus deinceps commemorandas.

Quae cum ita sint, perverse iudicat Schwedler (Leipzig. Stud. IX, De rebus Tegeaticis p. 331), qui titulo allato nisus Tegeae a principe praetorum annum denotatum esse contendit.

Paucos, sed ad nostram de magistratibus perscribendis sententiam illustrandam maxime idoneos praebet titulos *Dymaeorum* civitas. Habemus decretum tertio a. Chr. saeculo exaratum, quo peregrini donantur civitate. Collitz 1612: Ἐπὶ θεοκόλου Ἀριστολαΐδα, βουλάρχου Τιμοκράτεος, προστάτα Κύλλιος, γραμματιστᾶ δαμοσιοφυλάκων Μενάνδρου, τούσδε ἁ πόλις πολίτας ἐποιήσατο.... κρίνασα καθ' ἕνα ἕκαστον. Eponymus est θεοκόλος. Reliqui cur additi sint, facile intelligitur. Vox ipsa bularchum „principem senatus" significat neque dubium est quin προστάτης intelligendus sit is qui contioni populi praesidebat, scriba δαμοσιοφυλάκων autem repraesentat sine dubio eos magistratus, quibus mandatum erat de civibus novis recipiendis iudicium facere, quod perspicitur ex verbis κρίνασα καθ' ἕνα ἕκαστον, i. e. δοκιμάζειν.

Similiter compositus est Collitz 1613:

> Ἐπί θεο]κόλου Φιλοκλέος, [γραμ]ματιστᾶ Δαμοκρί]του, βουλ]άρχου Κλέωνος, [τούσδε] ἁ πόλις κατέκριν(ε) θανάτου, ὅτι ἱεροφώρεον [καὶ νό]μισμα ἔκυπτον . . .

Hic prostatae nomen omissum esse colligere licet, quod penes senatum erat in eos animadvertere qui nummos adulteraverant. Bularchum autem nihil valere ad temporis notationem et inde cognoscitur, quod alii documento, quo non decretum senatus aut populi, sed epistula continetur missa a consule Romano, praefixa sunt tantum nomina eponymi (θεοκόλος) et scribae senatus (γραμματεὺς τοῦ συνεδρίου). cf. Dittenb. 242.

Quibus omnibus efficitur comprobandam esse sententiam quam protulerunt Gilbert (l. l. p. 20) et Dittenberger (Syll. 321) de mnamonibus, quorum mentio fit in decretis foederis *Acarnanici* recentioris. Legimus apud Dittenb. 321 = Coll. 1379: Ἐπὶ ἱεραπόλου τοῖ Ἀπόλλωνι τοῖ Ἀκτίοι Θευδότου τοῦ Σώτωνος Ἀνακτοριέος, γραμματέος δὲ ταῖ βουλᾶι Κλεάνδρου ..., προμνάμονος δὲ Σωπάτρου τοῦ Σωτίωνος Ἀνακτορ. καὶ συμπρομναμόνων Ἀριστάνδρου (tres numero), μηνὸς Κουροτρόπου, ἔδοξε τᾶι βουλᾶι καὶ τοῖ κοινοῖ τῶν Ἀκαρνάνων, προξένους εἰμεϝ etc. Quis non meminit formulae in Atticis decretis adhibitae: τῶν προέδρων ἐπεψήφιζεν ὁ δεῖνα καὶ οἱ συμπρόεδροι?

Ἱεραπόλος eponymus est sacerdos Apollinis Actii, cuius in tutela foedus Acarnanum fuisse videtur[1]). Cum autem in alio eiusdem fere aetatis titulo strategum praescriptum fuisse verisimile sit

---

[1]) cf. Oberhummer, Akarnan. p. 217 et 218.

(cf. Collitz 1380b), Boeckh (ad. tit. 1793) rem ita explicare voluit, ut eponymum civilem censeret fuisse στρατηγόν, sacrum ἱεραπόλον. Cuius ad sententiam vix vereor ne accedas, si quae in antecedentibus disputavimus, recte se habere habeas persuasum. Fortasse nominatus erat praetor propter rei argumentum ut peculiaris magistratus Nam summa in republica fuisse eum potestate rogationesque ferre potuisse ad populum testatur Livius (XXXVI, 11; XXXIII, 16)[1]. Ex titulo ipso cum valde sit mutilatus, res diiudicari nequit.

Iam restat, ut uno verbo tangam titulos nonnullos *Siciliae,* quibus in plerisque sacerdotales magistratus eponymi locum tenere videntur. cf. Kaibel, Inscr. Sicil. et Ital. 256 (Gela): Ἐπὶ ἱεραπόλου Ἀριστίωνος τοῦ Ἱστιείου, κατενιαυσίου Σώσιος τοῦ Νυμφοδώρου. βουλᾶς ἁλίασμα τᾶ(ς) δευτέρας ἑξαμήνου, Καρνείου τριακάδι, προστάτας Ἱπποκλῆς . . . ., ἔδοξε τᾷ ἁλίαι etc. similiter n. 257. praeterea conferendi sunt: Kaibel 290 (Segesta), Ἱεροθυτέοντος Φάωνος [τοῦ Νύμ[φωνος Σωπολιανοῦ, [ἀγορα[νομέοντος Ξενάρχου τοῦ δ. etc. ibid. 953 (Melita), Ἐπὶ ἱεροθύτου Ἱκέτα Ἱκέτου, ἀρχόντων δὲ Ἡρέου καὶ Κ. τητος.

ἔδοξε τῇ συγκλήτῳ καὶτῷ δήμῳ . . . . . πρόξενον εἶναι. ibid. 952 (Agrigentum), Ἐπὶ ἱεροθύτα Νυμφοδώρου τοῦ δ., παραπροστά(τα) τᾶς βουλᾶς, προεδρευούσας τᾶς φυλᾶς τῶν Ὑλλέων, προαγοροῦντος Διοκλέος τοῦ δ., γραμματεύοντος τοῦ δ., ἁλίασμα ἕκτας διμήνου e. q. s. est proxeniae decretum.[2]

Quos inter titulos maxime sunt memorabiles apud Kaibel n. 256 et 953. quod cur additi sint κατενιαύσιος et ἄρχοντες non plane est perspicuum. Sed cum summi magistratus civiles fuisse videantur, haud scio an duplex temporis significatio intelligenda sit.

Caput II.

Praeter sacerdotes eponymiae honore praeditos invenimus saepe eos magistratus civiles, qui si non potestate et auctoritate, nomine certe primum tenebant in republica locum. Nam postquam pleraeque Graecorum civitates annuos creare coeperunt magistratus, res ipsa ferebat, ut ex nomine eius qui summo munere fungebatur, singuli anni designarentur.

---

[1]) cf. Oberhummer, Akarnan. p. 217.

[2]) Syracusis ἀμφίπολον eponymum institutum esse a Timoleonte testatur Diodor. XIV, 70.

Horum magistratuum eponymia inde maxime cognoscitur, quod titulis nullam aliam ob causam nomina eorum praescribuntur quam ut tempus definiant. Inter quos occurrunt potissimum qui vocantur ἄρχοντες, βασιλεῖς, πρυτάνεις, μόναρχοι, alii.

De his quid dicendum sit iam videamus.

In *Ephesiorum* civitate eponymi partes egisse archontem consentiunt C. Curtius (Hermes IV, p. 226 sq) et G. Gilbert (Handb. d. gr. Staatsalt. II, p. 143). Quam virorum doctorum sententiam ferri non posse facile demonstratur. Unum enim titulum quo maxime illi nitebantur, non Epheso, sed Delo insulae tribuendum esse cognovit Howolle, Bull d. Corr. Hell. II, p. 133. Reliqui vero tituli prytanis nomine tempus indicant. Conferas velim exempli gratia Brit. Mus. III, 2, p. 127, n. 451: Ἐπὶ π]ρυτ]άνεω[ς Τ[ιβ. Κλ. Ἀντιπάτρου Ἰουλ[ι]ανοῦ, μην[ὸς] Ποσειδεῶνος ς ἱσταμένου, [ἔ[δοξε τῇ βουλῇ. ibid. p. 110, n. 477, v. 65: Ὅσοι δὲ ἐπὶ κτή[μ]ασιν δεδανεισμένοι εἰσὶν ἀπὸ Δημαγόρου πρυτάνεως καὶ μηνὸς Ποσειδεῶνος, τούτοις e. q. s. Etiam decreta apud Josephum servata in fronte gerunt nomen prytanis. cf. Ant. XIV, c. 10, 12: Ἐπὶ πρυτάνεως Ἀρτέμωνος, Ληναιῶνος πρώτῃ, Δολοβέλλας αὐτοκράτωρ Ἐφεσίων βουλῇ καὶ ἄρχουσι καὶ δήμῳ χαίρειν (annus est 43 a. Chr.).

Ephesiorum prytanes summi reipublicae magistratus fuisse videntur, qui tamen florente libera republica de pristina potentia eponymiae tantum honorem sacrorumque quorundam administrationem retinuerunt (cf. Menadier, qua condicione Ephesii usi sint inde ab Asia in formam provinciae redacta. Berlin 1880, p. 71). Hoc sine dubio certum est prytanes illos nullo modo cum senatu (βουλή) cohaerere, quod Curtius (l. l.) sibi finxit. Attribuendi potius sunt ei magistratuum generi, quod Aristoteles describit verbis (polit. Ζ 1322b): ἐχομένη δὲ ταύτης (scl. ἐπιμελείας) ἡ πρὸς τὰς θυσίας ἀφωρισμένη τὰς κοινὰς πάσας ὅσας μὴ τοῖς ἱερεῦσιν ἀποδίδωσιν ὁ νόμος ἀλλ᾽ ὑπὸ τῆς κοινῆς ἑστίας ἔχουσι τὴν τιμήν. καλοῦσιν δὲ οἱ μὲν ἄρχοντας τούτους, οἱ δὲ βασιλεῖς, οἱ δὲ πρυτάνεις. Habemus igitur collegium quod respondet fere archontibus Atheniensibus. Eis enim temporibus, e quibus Ephesiorum tituli servati sunt — hoc est sub Romanorum imperio ante et post Chr. n. — prytanes omnem iam deposuerant potestatem eorumque officia honorum loco habebantur, ut vel inde colligere licet, quod etiam mulieres hoc munere fungi poterant. cf. Brit. Mus III, 2, p. 219, n. 596b: .... πρυτανεύσασαν ἣ καὶ διεδέξατο τὴν πρυτανείαν παρὰ τοῦ ἑαυτῆς ὑοῦ . .

Peculiarium magistratuum qui cur eponymo additi sint ex ipso tituli argumento perspicitur, affero hos: sacerdotales C. J. G. 2982

= Le Bas 152: Οἵ]δε ἐνεοποίησαν αὐ[θ]α[ίρετοι ἐ]πὶ πρυτάνεως Τιβερίου [Κλ]αυδίου Διοδώρου Ῥωμύ[λο]υ, ἱερατευούσης [Κλ]αυδίας Οὐαλεριανοῦ..... item Brit. Mus. p. 210. porro C. J. G. 2955: Ἐπὶ πρυτάνεως Τι(β). Κλαυδίου Τιτιανοῦ...., ἱερατεύοντος Σοσσιανοῦ, ὁ δεῖνα ἀνέθηκεν Ἴσιδι καὶ Σεράπιδι φιάλην. Bull. VI, p. 286 = Brit. Mus. III, 2, p. 162, n 498: Αὐ]τοκράτορι θεῷ Καίσαρι Σεβαστῷ Οὐεσπασιανῷ ἐπὶ ἀνθυπάτου Μάρκου.... ὁ δῆμος ὁ Καισαρέων Μακεδόνων Ὑρκανίων ναῷ τῷ ἐν Ἐφέσῳ τῶν Σεβαστῶν κοινῷ τῆς Ἀσίας, διὰ Τειμοθέου.... ἀρχόντων.

Ἐπὶ ἀρχιερέως τῆς Ἀσίας Τιβερίου Κλαυδίου Ἀριστίωνος.

Populus qui Ephesiorum templo mittit hoc donarium cum in Lydia provincia habitet, eponymi locum tenet Asiae proconsul; ἀρχιερεύς subscriptus est ut summus templi magistratus, cuius sub administratione statua erecta est.

Idem fere valet de titulo Brit. Mus. III, 2, p. 233 c: ..... Λαοδικεὺς καὶ Ἐφέσιος νεικήσας μεγάλα Ἐφέσηα (est catalogus victorum), sub finem: ἀγωνοθετοῦντος Τ. Ιουλίου Ῥηγείνου ἀρχιερέως β ναῶν τῶν ἐν Ἐφ.

Paulo aliter res se habet in titulis nonnullis, quorum in fine recensetur γραμματεύς. cf. Bull. d. Corr. Hell. I, p. 293, n. 84: Ἀρτέμιδι Ἐπηκόῳ Καπετωλεῖνος Διοδώρου τοῦ Α . . . Ἐφέσιος τὴν Νείκην . . . ἀνέθηκεν. γραμματεύοντος Τ. Κλ. Λουκιανοῦ. Cuius rei quae esset ratio cum non intellegeret, Swoboda (Die griech. Volksbeschlüsse, p. 207) Ephesiorum scribam in eponymorum magistratuum numero habendum esse statuit, quod quam non sit probandum aliis eiusdem generis titulis collatis facile intelliges. Primum enim occurrit coniunctus cum ἐργεπιστάτῃ publicis operibus subscriptus, quae urbs ipsa exstruxerat aut dedicaverat. cf. Wood, Discov. at Ephes. (fr. the gr. theatre inscr.) p. 46: Ἡ πρώτη καὶ μεγίστη μητρόπολις τῆς Ἀσίας καὶ δὶς νεωκόρος τῶν Σεβαστῶν τὸν πέτασον τοῦ θεάτρου καὶ τὸ προσκήνιον . . . ἐπεσκεύασεν εκ τῶν ἰδίων, γραμματεύοντος Ποπλίου. . Ἀντονείνου Ἀσιάρχου, ἐργεπιστατούντων Ποπλίου Ἀτιλίου Μηνοδότου καὶ τοῦ δ. Hic cum apertum sit eos commemorari magistratus, qui opera publica curanda et custodienda susceperant, scribam in eiusmodi negotiis civitatis personam gerere pro certo habeo, praesertim cum alii tituli scribam ut talia fierent rettulisse ad populum demonstrent. cf. Bull. d Corr. Hell. I, p. 292: Σαβῖναν τὴν Θεὰν Σεβαστὴν γυναῖκα αὐτοκράτορος Θεοῦ Τραιανοῦ . . . ἡ φιλοσέβαστος Ἐφεσίων

βουλὴ καὶ ὁ νεωκόρος δὶς δῆμος καθιέρωσαν ἐπὶ ἀνθυπάτου Γ. Ἰουλίου Ἀλεξάνδρου . . ., ψηφισαμένου Τ. Κλ. Δημοστράτου . . . τοῦ γραμματέως τοῦ δήμου, ἐργεπιστατήσαντος τοῦ δ. similiter Wood, Discov. (inscr. f. th. g. theatre) p. 52, n. 7: Αὐτοκράτορα Καίσαρα Τίτον Αἴλιον Ἀδριανὸν Ἀντωνεῖνον . . . . τῶν Ἐφεσίων ἡ πόλις καὶ ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος ἐπὶ Πεδ. Πρεισκείνου ἀνθυπάτου, ψήφισμα προβουλευθέντος Πο. Γεμελλίνου Φλαβιανοῦ γραμματέως τοῦ δήμου. Quibus omnibus verisimile fit Ephesiorum scribam omnium magistratuum in rebus publicis gerendis plurimum valuisse, quod confirmari mihi videtur etiam titulo Μους. κ. βιβλ. 1878–80, p. 177. (Γν— Πομ— Κουαρτεῖνον Πομ— Ἑρμίππου Ἀσιάρχου καὶ νεοκόρου υ(ἱ)ὸν καὶ αὐτὸν νεοκόρον τῶν Σεβαστῶν καὶ γραμματέα τοῦ δήμου ἀρετῆς ἕνεκα . . . . . ψηφισαμένων Κ. Φαβίου Νεικίου . . καὶ Μ. Ἀντωνίου Μάρκου ἀρχόντων), ubi cum scribae ipsi statua erigenda decernitur, archontes rogationem ferentes videmus, quorum haud scio an princeps fuerit scriba.

Neque *Cyzici* quis eponymi locum tenuerit congruunt virorum doctorum sententiae, cum alii „archontem“ vel „hipparchum“, alii praeter hos duos „scribam“ quoque illa dignitate ornatum fuisse velint. Quod cum minus probabile esse videretur, Boeckh (ad tit. 3657) rem ita explicare studuit, ut archontum collegium esse statueret, cuius princeps et ἄρχων et ἱππάρχης vocari potuisset. Quam praeclarissimi viri sententiam stare non posse facile tibi persuadebis. Mordtmanni (cf. Athen. Mittlg. 6, p. 50) vero sententia omnes qui praescribuntur magistratus in eponymorum numero esse habendos, non digna est quae reiciatur. Sed iam quid rei sit videamus.

Hipparchus quin eponymi munere functus sit, nulla est dubitatio. Elucet hoc maxime ex titulis illis dedicatoriis, quibus recensentur ii Cyziceni qui Samothraciis mysteriis initiati erant. cf. Conze, Samothrake, I, 43, 21: Ἐπὶ βασιλέως Εὐμάχου τοῦ Τημένου, ὡς δὲ Κυζικῆνοι ἄγουσιν ἐπὶ Ἱππονίκου τοῦ Λυσαγόρου ἱππάρχεω. Ἱεροποιο(ὶ) οἱ ἀποσταλέντες ὑπὸ τοῦ δήμου τοῦ Κυζικήνων (seq. nomina). similiter C. J. G. 2157: Κυζικηνῶν ἱεροποιοὶ καὶ μυστηρίων εὐσεβεῖς ἐπὶ Ἀντιγένους τοῦ δ. ἱππάρχεω, [ὡς δὲ] Σαμοθρᾶκες ἐπὶ βασιλέως τοῦ δ. Eodem modo praescriptus invenitur hipparchus in decretis aliisque documentis et publicis et privatis. conferas velim Bull. d. Corr. VI, p. 613: Ἐπὶ Παυσανίου τοῦ Εὐμένους ἱ[ππ]άρχεω, μηνὸς Καλαμ . ., ἔδοξεν τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ etc. porro Ath. Mittlg. 6, p. 44. Dittenberger 279, alios. Praeter eponymiae honorem quae fuerint hipparchi officia nihil docemur titulis, nisi quod semel rogationem fert ad populum in

decreto illo (Bull. VI, p. 613), quo Antoniae Tryphaenae sacerdoti ut in templo collocet donarium permittitur. Unde conicere fortasse licet eius munera ad sacras potissimum res spectasse, praesertim cum etiam mulieres illud munus subire potuisse discamus ex titulis (cf. C. J. G. 3665; Ath. Mittlg. 6, p. 45, II b). Mirum tum videri potest quod C. J. G. 3661 (Ἱππαρχούντων Τερεντί(ου) καὶ Βειβί(ου) Ἀμφικτυόνος, γραμματέως τῆς ἱερῆς βουλῆς τοῦ δ. καλλιαρχοῦντος, οἵδε ἐπρυτάνευσαν..) pro uno bini hipparchi eponymi tenent locum. Sed si reminiscimur quantae Jasensi stephanephoro impendendae fuerint pecuniae, haud veridissimile est similem ob causam Cyziceni eponymi munus ad duos viros translatum esse.

Sed iam de archonte quid statuendum sit videamus. Multos habemus prytanum catalogos huius generis: Πρυτάνεις Αἰγικορεῖς οἱ πρυτα[νεύσαντες μῆνα Ἀ]ρτεμισιῶνα ἐπὶ τοῦ δεῖνα ἱππάρχου, γραμματέως βουλῆς τοῦ δ. . . καὶ καλλιάσαντες τὸν Ταυρεῶνα ἐπὶ ἄρχοντος τοῦ δ. (cf. Ath. Mittlg. 6, p. 50), vel C. J. G. 3661: Ἱππαρχούντων τῶν δείνων, γραμματέως τῆς ἱερᾶς βουλῆς Νικομήδους τοῦ β', καλλιαρχοῦντος [τοῦ δεῖνα] (sic enim restituendum recte adnotat Mordtmann, Mittlg. 6, p. 50), οἵδε ἐπρυτάνευσαν μῆνα τὸν Ἀπατουρεῶνα e. q s. Quibus inscriptionibus adducti sunt plerique editores, ut archontem una cum hipparcho eponymi locum tenere putarent. At primum quidem illud est animadvertendum archontem eodem modo non commemorari nisi in prytanum recensibus. Quare non potest dubitari quin peculiaris habendus sit magistratus.

Deinde autem cum semper coniunctus recenseatur archon cum eis prytanibus qui καλλιάζοντες fuerunt (legitur enim semper: οἵδε ἐπρυτάνευσαν καὶ ἐκαλλίασαν ἐπὶ ἄρχοντος τοῦ δ. cf. C. J. G. 3663 sq.), ad id tantum prytanum munus eius curam spectasse colligere possumus. Vocis enim καλλιάζειν quae sit vis, quae officia οἱ καλλιάζοντες susceperint quamquam dissident inter se viri docti[1]), hoc pro certo haberi potest omnes prytanes munere perfunctos mense insequenti illud munus suscepisse. Neque igitur iniuria Boeckh, cum princeps collegii τῶν καλλιαζόντων sine dubio fuerit καλλιάρχης (C. J. G. 3661), ἄρχοντα eundem esse magistratum censet, quo duce et auctore ἐκαλλίασαν ii, qui priore mense prytanes erant. Quodsi Mordtmann (l. l.) contendit nonnullis in titulis archontem solum hipparchi nomine omisso eponymum recenseri, in eodem versatur errore quo alii, qui solent confundere inter se peculiares magistratus et eponymos proprie publicos.

---

[1]) cf. Kersten, de Cyzico, p. 11 sq.

Nam titulus C. J. G. 3664, quo nititur Mordtmann, nihil valet contra hipparchi publicam eponymiam. Haec enim inscriptio plurium mensium complectitur prytanes et καλλιάσαντας ita, ut singuli menses sese excipiant hac formula: ἐπρυτάνευσαν μῆνα τὸν δ. καὶ ἐκαλλίασαν μῆνα τὸν δ. ἄρχοντος τοῦ δ. omisso nomine eponymi hipparchi, qui quin in initio deperdito perscriptus fuerit, dubitari nequit. Quare non eponymi, sed peculiaris tantum magistratus obtinet locum ἄρχων. Rem ita se habere quamquam Kersten (l. l) iam intellexit vel sensit, eo magis est mirandum, quod ipse quoque aliis in titulis archontem eponymi partes agere censuit. Ad titulum enim C. J. G. 3667: Κύ[ζ]ικον κτίστην ἡ πόλις ἐπὶ ἀρχόν(τ)ων (τ)ῶν περὶ Γ. Ἰούλιον Σέλευκον, ὑὸν ἀρχιερέως, προνοησάν[τ]ων τῆς ἀναστάσεως .... ἐν τῇ ἑαυτῶν ἀρχῇ Γ. Ἰουλίου Σελεύκου καὶ .... adnotat haec: „Vix dubitabimus, quin C. Julius Seleucus ille archon primus vel eponymus fuerit.“ Iam vides hoc loco non tempus definiri, sed commemorari eos magistratus, quibus auctoribus illa statua est collocata; unde explicatur etiam illud, quod non unus magistratus sed totum nominatur collegium.

Denique vix est credibile Marquardtum et Kerstenum „certis quibusdam temporibus“ γραμματέα fuisse magistratum eponymum sibi fingere. C. J. C. 3663 enim legimus:

— — — — — — — — — — — — — — — — — —

γραμματεύ[οντος τῆς νεωκόρου βου[λῆς] Αἰμιλίου Αἰλιανοῦ Ἰταλοῦ, οἵδε ἐπρυτάνευσαν μῆνα τὸν δ. καὶ ἐκαλλίασαν τὸν Πάνημον ἐπὶ ἄρχοντος τοῦ δ. Huius tituli cum primi versus proprie eponymum continentes deleti sint, scribae nomen certa de causa adscriptum esse apparet, quod confirmatur aliis duobus eiusdem generis titulis: Mittlg. 6, p. 42, b. Ἱππαρχοῦντος Κλ. Χαιρέου ἥρωος τὸ ζ', ἀρχιερέως δὲ τῆς Ἀσίας ναοῦ τοῦ ἐν Κυζίκῳ Γ. Ὀφρίου.. καὶ ἀρχιερείας Οὐιβίας Πώλλης, γραμματέως δὲ τῆς νεωκόρου βου[λῆς] Π. Αἰλίου Πρόκλου Ἑλένου πρυτάνεις οἱ [πρυτανεύ]σαντες μῆνα .... Σεβαστεῖς. et ibid. p. 45, II. b. Ex vocabulo addito τῆς βουλῆς perspicuum est scribam recenseri his catalogis sive ut membrum senatus sive ad rem publice confirmandam. Atque similis ratio subsit necesse est, si praeterea in uno titulo memoratur ἀρχιερεὺς una cum ἀρχιερείᾳ. Sed quomodo hic sacerdos Imperatorum aetate coniunctus fuerit cum senatu (νεωκόρος βουλή), equidem nescio.

His expositis probabile esse mihi videtur hipparchum eponymum intelligendum esse etiam in illis titulis, ubi magistratus significatione omissa viri nomen tantum praescribitur (cf. Dittenberger 312 Ἐπὶ Μαιανδρίου et C. J. G. 3656 Ἐπὶ Ἀριστάνδρου).

Hipparchum autem unum omnibus temporibus eponymi munere functum esse vel inde colligere licet quod in titulis omnis aetatis et in antiquissimis[1]) et in recentissimis[2]) nomen eius praescriptum invenitur.

Iam ne quid omisisse videar afferre liceat nonnullos titulos, in quibus cur peculiares magistratus perscribantur per se patet C. J. G. 3665: Ἱππαρχούσης Αὐρηλίας Ἰουλίας Μενελαΐδος ἡρωΐδος . . . ἐφηβαρχοῦντος τῆς λαμπροτάτης μητροπόλεως . . . Ἀμερίμνου, ὑπεφηβαρχοῦντος τοῦ δ. . ., οἵδε ἐφήβευσαν. et similiter n. 3660: Γυμνασιαρχοῦντος [τοῦ δεῖνος] τοῦ Ἀριστολόχ[ου], ἐπὶ Ἀπολλοφάνου . . οἵδε ἐκωλ[α]κρ[έ]τησαν ἐ[ν . . . . Hos publicos magistratus qui iuvenum institutioni praeerant cur nemo in eponymorum numero habuerit valde miror.

In *Boeotorum* civitate eponymi munere fungentes invenimus in titulis et foederis et singularum urbium archontem. Cuius quae fuerint officia cum nihil doceamur documentis taceantque scriptores nisi quod Plutarchus (De gen. Socr. 31, p. 721 Didot) Thebani archontis provinciam in rebus potissimum sacris positam fuisse tradit, verisimile est eum adscribendum esse alteri quod statuimus eponymorum generi, praesertim cum in foedere universo boeotarchas, in singulis urbibus polemarchos gravissimas res publicas administrasse constet (cf. Gilbert, II, p. 53 sq.)[3]).

---

[1]) Bechtel (l. l.), p. 74: Ἐπ]ὶ Εὐφήμου . . ἱππάρχεω IV. a. Chr. s. esse videtur.

[2]) Imperatorum aetati omnes fere prytanum catalogi tribuendi sunt. Imperator ipse eponymi honore ornatus occurrit Dittenb. 279: Ἐπὶ Γαίου Καίσαρος ἱππάρχεω⟨ι⟩.

[3]) Nam quod Liman (Foederis Boeotici instituta, p. 16 sq.) contendit Romanorum aetate archontem rebus bellicis praefuisse, omnino certo caret fundamento. Verba enim Polybii quae leguntur 22, 4, 12: Οἱ Βοιωτοὶ στρατηγοῦντος Ἱππίου παρ' αὐτοῖς παραχρῆμα μὲν ὑπέσχοντο ποιήσειν τὰ παρακαλούμενα· μετ' ὀλίγον δὲ πάντων ὠλιγώρησαν. διόπερ ὁ Φιλοποίμην, Ἱππίου μὲν ἀποτεθειμένου τὴν ἀρχὴν, Ἀλκέτου δὲ παρειληφότος, ἀπέδωκε τὰ ῥύσια, ita interpretatus est, ut e verbis τὴν ἀρχὴν παρειληφότος Alcetam post Hippiam archontem foederis fuisse et e verbis στρατηγοῦντος Ἱππίου archontem summam in re militari habuisse potestatem colligeret. Sed nemo nescit vocabulo ἀρχή cuiuslibet magistratus munus posse significari neque dubium est, quin hoc loco non archontis, sed praetoris (στρατηγοῦ) ἀρχή intelligenda sit. Id sane certum fit ex eis quae scriptores tradunt, illis temporibus apud Boeotos aeque ac apud Achaeos et Aetolos summum militiae imperium a septem boeotarchis ad unum strategum translatum esse, qui nullo modo confundendus est cum archonte (cf. etiam Gilbert, p. 55).

Duo igitur distinguendi sunt eponymi archontes, alter qui foederis, alter qui singularum urbium decretis praescribi solebat. Saepe autem fiebat, ut alter cum altero coniungeretur.

Documentorum quae ad foedus spectant affero exempla haec: C. J. G. 1565 = Larfeld, Syll. inscr. Boeot. 316 = Coll. 719: [Θ]εός, τύχα . . . ὀτέ[λι]ος ἄρχοντος ἔδοξε τοῖ δάμοι πρόξενον εἶμεν Βοιωτῶν καὶ εὐεργέταν τὸν δ., in fine: Β]οιωταρχιόν[τ]ων (septem sequuntur nomina). porro Larf. 181 = Coll. 570: Βοιωτοὶ Ἀπόλλωνι Πτωίοι ἀνέθιαν, ἄρχοντος Βοιωτοῖς Φιλοκώμω . . ., ἀφεδριατευόντων τῶν δ. (7), μαντευομένω τοῦ δ.

Formula autem qua utebantur singulae civitates huius fuit similis: (Acraephiae) Bull. de Corr. Hell. IX, p. 431, Ἄρχοντος ἐν Ἀκραιφίοις Ἱππονίκου, γραμματεύοντος τῶν ναοποιῶν....οἵδε ἐνίκων. (Orchomeni) Bull. IV, p. 97 = Larf. 14 = Coll. 493: Θιὸς τούχαν ἀγαθάν. Ἀριστοδάμω Μνασιγενείω ἄρχοντος, Ἔνδικος Θίωνος ἔλεξε, δεδόχθη τοῖ δάμοι Σωσίβιον...πρόξενον εἶμεν. vel. Larf. 17 = Coll. 485: Ὀνασίμω ἄρχοντος Βοιωτῦς, Ἐρχομενίυς δὲ Πολυκράτιος Μυριχίω, πολεμαρχιόντων τῶν δ. τυὶ πρᾶτον ἐστροτευάθη.

Praeterea archontis eponymiae dignitas confirmatur formulis huius generis: Coll. 488 D, I, Τοὶ πολέμαρχοι τοὶ ἐπὶ Πολυκρίτιος ἄρχοντος, C. J. G. 1569 a, III, 40, ὁ ἐνιαυτὸς ὁ μετὰ Θύναρχον ἄρχοντα Ἐρχομενίυς, Rangabé, Ant Hell. n. 1005, εἰς τὸν ἐπὶ Νίκωνος ἄρχοντος ἐνιαυτόν.

Maioris vero momenti est in eos inquirere titulos, quorum in praescriptis eponymo adduntur alii magistratus. Inter quos primum nominandi sunt πολέμαρχοι, quorum in omnium fere urbium titulis fit mentio, scriba interdum accedente. Singularum civitatum hos afferre liceat titulos: *Orchomeni*, Larf. 18 = Coll. 486, Δαμοφίλω ἄρχοντ[ος] Βοιωτοῖς, Ἐρχομενίοις [δὲ] Σφοδρίαο Εὐρυτιμίδα[ο], πολεμαρχιόντων Κλιοξένω Πολουκρίτω......, γραμματίδδ[ον]-τος τῦς πολεμάρχυς Πολυκρίτω Φιλοκλειίω, τυὶ πρᾶτον ἐσστροτευάθη; similiter Larf. 17 = Coll. 485, Larf. 21 = Coll. 483, Larf. 22 = Coll. 484. *Acraephiae*, Larf. 184 = Coll. 574, Πτωίωνος ἄρχοντος, πολεμαρχιόντων Ξεν[ο]κλίαο (tres adduntur), γραμματίδδοντος τοῦ δ., τυὶ ἀπεγράψανθο [ἐς ἐ]φε[ί]βων ἐμ πελτοφόρας. similiter Coll. 571 a. *Hyetti*, Larf. 155 = Coll. 528, Θιός. Ἀγαθαρχίδαο ἄρχοντος Βοιωτῦς, ἐπὶ πόλιος δὲ Πουθανγέλω, πολεμαρχιόντων Τιμασίωνος (3), γραμματίδδοντος τοῦ δ., τυὶ ἀπεγράψανθο ἐμ πελτοφόρας. *Kopis*, Larf. 169 = Coll. 553, Μελαντίχω ἄρχοντος τοὶ ἀπεγράψαντο ἐν ὁπλίτας, πολεμαρχιόντων Ϝαναξίωνος....,

λοχαγίοντος Γάδωνος τοῦ δ., γραμματίδδοντος τοῦ δ. porro Coll. 554—558. In his conscriptorum catalogis magistratuum militarium nomina non ad tempus notandum addita esse apparet, sed ad rem de qua agitur publice confirmandam. Haec ita se habere vel inde cognoscere licet, quod polemarchorum nomina desunt in aliis earundem civitatum titulis, quorum argumentum ad alias res pertinet. Exempli gratia Orchomeniorum decreta publica nisi eponymum archontem nullum in fronte gerunt magistratum, cf. Coll. 493: Ἀριστοδάμω Μνασιγενείω ἄρχοντος, Ἔνδικος Θίωνος ἔλεξε, δεδόχθη τοῖ δάμοι etc. item 489, 492.)

Cui tamen sententiae obstare videntur nonnulla Acraephiae civitatis decreta, quibus praeter archontem polemarchi eorumque scriba praescripti sunt. cf. Bull. XIV, p. 193 sq. et Swoboda, l. l. p. 149: ... ε[ω]νος ἄρχοντος, πολεμαρχούντων Πολυξένου τοῦ Νίκωνος (3), γραμματεύοντος τοῦ δ., οἱ ἄρχοντες καὶ οἱ σύνεδροι εἶπαν· ἐπειδὴ ὁ δεῖνα .. ἀνὴρ καλὸς ... ὑπάρχων ...., δεδογμένον εἶναι τοῖς τε συνέδροις καὶ τῷ δήμῳ ἐπαινέσαι, et Bull. XIV, p. 8: Τῶ δῖνος ἄρχον]τος, πολεμαρχιόντων τῶν δ., γραμματίδδοντος τοῦ δ. Προξ[ενίη. Τὺ ἄρχοντες κὴ τὺ σ]ούνεδρυ ἔλεξαν. Γάιον Ὀκτάιον Τίτου Ῥωμεῖον [πρόξενον εἶμεν κὴ] εὐεργέταν τᾶς πόλιος Ἀκρηφιείων. Quorum titulorum praescripta paulo aliter formata esse ac in reliquarum civitatum decretis, quae alteri a. Chr. n. saeculo tribuenda sunt, iam adnotaverunt et qui edidit titulos Holleaux et Swoboda (p. 150 sq.), qui has mutationes sub Romanorum imperio factas esse censet. Utut res se habet, hoc consentiunt viri docti verbis τὺ ἄρχοντες ... ἔλεξαν non certos quosdam archontes significari, sed universos reipublicae magistratus, qui rogationem ferunt ad populum, quos inter primum tenent locum polemarchi. Quae cum ita sint, iam habes explicatum, cur polemarchorum nomina recenseantur. Sed haud scio an ei idcirco nominati sint, quod contioni sive senatui praesidebant. Scimus enim polemarchos aliis in Boeotiae civitatibus hoc munere functos esse velut Orchomeni, qua de re conferas Coll. 488 et Swoboda p. 170. Quare cum singularum urbium instituta publica plane similia fuisse videantur, nihil obstat quominus Acraephiae idem valuisse putemus. Quam sententiam ut probes, conferas velim duos Oropi civitatis titulos, ubi similiter res se habet Ἐφ. ἀρχ. 1891 p. 91 n. 39 et 40 legimus: Ἐπὶ Χαροπίδου ἱερέως τοῦ Ἀμφιαράου, πολεμάρχων Ἀμφιδήμου Ἀμφιμήδους (adduntur tres). Ἀμφίδημος Ἀμφιμήδους ἔλεξεν. ἔδοξεν τῇ βουλῇ καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ, ... προξένους εἶναι. Hic cum princeps polemarchorum ipse refert ad populum, dubium esse nequit, quin tota res illis auctoribus acta sit.

Ex his et aliis quae sunt similia exemplis in universum statuendum esse arbitror eos magistratus qui in decretis conficiendis aut praesidis aut rogatoris munere funguntur, saepissime non expressis verbis has partes agere significari, sed eodem modo quo eponymum documentis praescribi, ita ut ex eiusmodi praescriptis saepe qualia illorum magistratuum munera fuerint cognoscere possimus. Ad hanc rem illustrandam testimonia praebent tituli nonnulli Orchomeniorum, in quibus polemarchi illo munere fungentes non eponymorum more perscribuntur, sed eadem adhibetur formula quam in decretis Atticis usitatam esse constat. Apud Coll. 488, v. 104 legitur: Τοὶ πολέμαρχοι τοὶ ἐπὶ Πολυκράτιος ἄρχοντος Φιλόμειλος Φίλωνος, Καφισόδωρος Διωνυσίω, Ἀθανόδωρος Ἵππωνος ἀνέγραψαν ..... deinde v. 110: Ἀλαλκομενίω Ϝικαστῆ κὴ ἕκτη. ἐπεψάφιδδε Φιλόμειλος Φίλωνος, Καφισόδωρος Διωνουσίω ἔλεξε, προβεβωλευμένον εἶμεν αὐτῦ ποτὶ δᾶμον e. q. s. Igitur et is qui populum suffragium inire iubet et qui rogationem tulit, polemarchus fuit quorum utriusque nomina antea perscripta sunt.

His expositis iam intelligere licet, cur in titulo Thespiensi polemarchi eorumque scriba recenseatur. cf. Bull. IX, p. 412: Θεοί. Πραξίωνος ἄρχοντος, πολεμαρχιόντων .... Ὀνασίμω, γ[ρα]μματίδδοντος Θεοδώρω, π.... Quamvis valde mutilatum sit documentum, tamen de fundis sacris locandis agi non est veridissimile. Itaque cum titulo Orchomenio (Coll. 488, v. 104 sq.) polemarchos etiam pecunias publicas administrasse doceamur, non longe a vero abesse videmur, si apud Thespienses illos magistratus eodem munere functos esse statuimus.

Eodem pertinet, quod polemarchi memorantur in titulis Orchomeniorum, qui servorum manumissiones continent. Coll. 501: [Θ]άρσωνος ἄρχοντος, ἱαρειάδδοντο[ς . . . Με]ιλιχίδαο, πολεμαρχιόντων Σάωνος ..... ἀντίθεντι τὸν Ϝίδιον Ϝυκέ[ταν . . ἱαρὸ]ν εἶμεν τῶ Σαράπιος .... ἠ δὲ κά τις ἐφαπτείτη, κούριος ἔστω ὁ ἱαρεὺς [κὴ τὺ πολέμαρχυ] σουλῶντες κὴ δαμιώοντες e. q. s. Verba ipsa demonstrant et sacerdotem et polemarchos manumissionis fideiussores fuisse.

Aliorum magistratuum peculiarium cur fiat mentio, causa tam simplex et plana est, ut satis habeam nonnullos tantum eiusmodi afferre titulos. Sacerdotes occurrunt in documentis ad res sacras spectantibus. Coll. 495: Δαμοτ[θ]ίδαο ἄρχοντος, ἱαρειάδδοντος Ἀντιχαρίδαο Ἀ[θ]ανοδώρω, [ἁ π]όλις Διὶ Μειλι[χίυ]. Ἀντιχαρίδας Ἀθανοδώρω ἔλ[ε]ξε, δεδόχθη τῦ δάμυ, ὅπω[ς] ἔχω[ν]θι τῶν πολιτάων τὺ [θ]ύ[ο]ντες τ[ῦ Διὶ] .... porro ibid. 714 et 716. Huc

referendi sunt etiam tituli votivi foederis Boeotici, quorum in fine iuxta eponymum archontem subscribuntur ἀφεδριατεύοντες illi, de quorum potestate certant viri docti. cf. Larf. 274 = Coll. 865: Βοιωτοὶ Διὶ Ἐλευθερίοι τὸν [τρίποδα?], κατὰ τὰν μαντείαν τῶ Ἀπόλ[λωνος], ἄρχοντος Βοιωτοῖς Λουσιμνάσ[τω], ἀφεδριατευόντων (septem adduntur), μαντευομένω τοῦ δ. similiter ibid. 807a et 494. Qui ἀφεδριατεύοντες cum non nisi in titulis sacris appareant, ex eis quae adhuc exposuimus non potest esse dubium, quin inter sacerdotales magistratus sint numerandi; quare abiciendа est sententia eorum (Preuss, Quaest. Boeotic. p. 5, Liman, l. l. p. 39, Boeckh. C. J. G. I, p. 729), qui ἀφεδριεύοντας ac boeotarchas eosdem fuisse contendunt.

Similiter ludorum magistratus recensentur in titulis agonisticis. Coll. 477: Μύριχος Πολυκράτιος, Ἱαρώνυμος Διογίτονος . . . νικάσαντες Διωνύσοι ἀνέθεικαν, Τίμωνος ἄρχοντος, αὐλίοντος Κλεινίαο, ἀΐδοντος Ἀλκισθένιος. praeterea ibid. 478, C. J. G. 1585 et 1586. Bull. XIV. p, 189.

Iam extant tituli nonnulli, in quibus duplicem temporis definiendi rationem adhibitam esse censet Swoboda (l. l. p. 233). Habemus enim nonnulla foederis universi decreta huius generis: Larf. 316 = Coll. 719: . . . ὀτέ[λι]ος ἄρχοντος ἔδοξε τοῖ δάμοι πρόξενον εἶμεν Βοιωτῶν καὶ εὐεργέταν Νώβαν. . . . ., [Β]οιωταρχιόν[τ]ων (septem additi esse videntur). Plane similiter conformatus est ibid. n. 720. Hic quae rei ratio sit videamus. Boeotarchas quoniam scriptores tradunt summum foederis imperium domi bellique tenuisse (cf. Gilbert, p. 55), per se ipsum apparet eos decretis conficiendis interfuisse sive rogationum auctores sive praesides concilii. Haec igitur causa est, cur illi nominabantur in fine decretorum, quippe per quos haec publice confirmarentur. Ad temporis significationem nihil valent. Unde fit, ut eorum nomina non occurrant nisi in publicis decretis, cum in titulis votivis antea allatis sacerdotales magistratus (ἀφεδριατεύοντες) recenseantur. Quare Gilbert, ἀφεδριατεύοντας et boeotarchas eosdem esse recte negat.

Iam unus restat titulus, qui primo obtutu comprobare videtur Limani sententiam, qui, ut supra vidimus, Romanorum aetate archonti strategi munera tribuere voluit. Neque dubito quin hunc titulum, si novisset, in suum conversurus fuerit usum. Legimus enim in titulo Wescher-Foucart, Inscr. de Delphes, n. 207: Στραταγέοντος τῶν Βοιωτῶν Εὐρέα μηνὸς Βουκατίου, ἐν Δελφοῖς δὲ ἄρχοντος Μελισσίωνος μηνὸς..., ἐπὶ τοῖσδε ἀπέδοτο ὁ δ. . . σῶμα γυναικεῖον e. q. s. Strategum hoc loco temporis significandi causa perscriptum

esse certum fit ex ceterorum qui Delphis exarati sunt titulorum similitudine. Quid inde sequitur? Fieri potuisse ponat quispiam, ut Romanorum aetate (his enim fere temporibus omnes tribuendi sunt Delphici de manumissione tituli) archontis magistratu sublato strategus in eius locum substitueretur. Sed hoc ne statuamus prohibemur titulo imperatorum aetate exarato, cuius initium est (Keil, z. Syll. p. 590): ὁ ἐπώνυμος ἄρχων καὶ ἀγωνοθέτης, unde elucet archontis munus perdurasse eumque solum participem fuisse eponymiae honoris. Quare ut explicemus cur titulo illi Delphico Boeotorum praetor praescriptus sit, memineris necesse est titulum extra Boeotorum fines scriptum esse, ubi praetor, potentissimus tum in republica vir, erat notior quam archon, cuius munus inter honores tantum numerabatur. Eandem ob causam in Attico quoque titulo Delphis exarato praetorem archontis locum tenere infra ostendetur.

Megarensium civitatis magnum numerum habemus titulorum quibus peregrinis de urbe bene meritis proxenia quae vocatur aliique honores decernuntur. Foucart qui edidit has inscriptiones, tertio vel alteri a. Chr. saeculo assignandas esse docuit. Omnes unam eandemque formam exhibent hancce: Le Bas (Voy. arch.) 30 b = Coll. 3004: Ἐπὶ βασιλέος Πασιάδα, ἐγραμμάτευε βουλᾶι καὶ δάμωι Ἵππων Παγχάρεος, ἐστρατάγουν Διονύσιος Πυρρίδα (quinque adduntur). Ἐπειδὴ Τελεσίας Ταυρίωνος, Πειθανορίδας Νικαίθου Φλειάσιοι εὔνοοι ἐόντες διατελοῦντι τῶι δάμωι Μεγαρέωγ καὶ . . . δεδόχθαι τᾶι βουλᾶι καὶ τῶι δάμωι προξένους εἶμεν . . . . ἀγγράψ[αι δὲ] τόδε τὸ δόγμα τὸγ γραμματέα τοῦ δάμου εἰς στάλαγ καὶ ἀνθέμεν εἰς [τὸ] Ὀλυμπιεῖον. Nonnunquam fit, ut quae hic ab initio scripta invenimus, in fine decreti ponantur. Coll. 3005: Ἐπειδὴ Ἀγαθοκλῆς . . . εὔνους ἐὼν διατελεῖ . . . . . δεδόχθαι τᾶι βουλᾶι καὶ τῶν δάμωι πρόξενον αὐτὸν εἶμεγ καὶ . . . . Βασιλεὺς Πασιάδας · ἐστρατάγουν Διονύσιος Πυρρίδα (eidem ac supra). γραμματ[εὺς] βουλᾶς καὶ δάμου Ἵππων Παγχάρεος. Omnes qui hic nominantur magistratus plerumque inter eponymos numerantur[1]) eorumque nomina et in praescriptis et in postscriptis ad tempus significandum addita esse putantur[2]).

Huic vulgari opinioni nos assentiri non posse manifestum fit ex eis quae adhuc exposuimus. Regem unum publici eponymi locum tenuisse indicare videtur ipsa praepositio ἐπὶ, quae illius tantum cum

[1]) Sic Thamm, De republ. ac magistr. Megarens. p. 20, adnotat: Apud Megarenses eponymi habendi sunt rex, praetores, scriba senatus populique.

[2]) cf. Swoboda, p. 226: „Es ist klar, dass hier das Postscript keinen anderen Zweck haben kann als das Praescript, den der Datirung.“

nomine coniuncta reperitur. Magis vero hoc confirmatur eo, quod ea aetate qua Megarensium civitas Achaico foederi adiuncta erat, iuxta Achaeorum eponymum Megarensium magistratuum βασιλεὺς solus exhibetur in formula praescripta. cf. Le Bas 17: ...᾿Επὶ] βασιλέος Ἀπολλωνίδα, μηνὸς Παν. . . ., [γραμ]ματέος τοῖς Ἀχαιοῖς τοῦ δ. Huius regis quae fuerint officia nescimus. Ex ipso autem vocabulo colligendum est mansisse ei partem eorum iurum et honorum, qui olim regum fuerant.

Iam si quaerimus cur alii recenseantur magistratus, scribam consentaneum est eam ob causam esse nominatum, ut aeque ac Athenis eius nomine legitima apographi fides confirmaretur; quod comprobatur etiam verbis, quibus ille decreta in lapide incidere iubetur.

Praetores vero quem ad finem perscripti sint, cum ex titulis Megaricis perspici nequeat, videamus num ex aliarum civitatum similitudine ad hanc rem diiudicandam aliquid efficere possimus.

Inter omnes constat Graecorum colonos pleraque patriae instituta in novam urbem transtulisse. Duae autem sunt Megarensium coloniae, Chalcedon et Taurica Chersonesus, quarum utraque domesticorum institutorum servavit vestigia. In utraque enim urbe invenitur βασιλεὺς eponymi munere fungens. Chalcedone, Bull. XI, p. 296 = Coll. 3055: Ἀνκριτῆρες τοὶ ἐπὶ βασιλέιος Ἀντιφίλου τοῦ Θεγείτου. Deinde Chersonesi, Bull. V, p. 70 = Coll. 3087 in fine decreti honorarii: Ταῦτ' ἔδοξε βουλᾶ[ι] καὶ δάμωι, μηνὸς Διονυσίου ἐννεακαιδεκάται, βασιλεύοντος Ἀγέλα τοῦ Ἀ[γα]νορίνου, προαισυμνῶντος Μήνιος τοῦ Ἡρακλείου, γραμματεύοντος Δαμ[ασικ]λέιος τοῦ Ἀθαναίου.

In hac igitur inscriptione legimus nomina regis, proaisymnetae, scribae. Quaeritur quis sit proaisymneta. Atque primum quidem per se verisimile est eum esse principem aisymnetarum, quos Gilbert (l. l. p. 72) coniecit delectos esse senatores, qui aeque ac Atheniensium prytanes ad tempus cotidiana senatus negotia curarent. Deinde senatores intelligendos esse alia docet inscriptio Chalcedone reperta, C. I. G. 3794 = Coll. 3054: Βασιλεὺς Προμαθίων Θεοδότου, ἱερομνάμων Ἑρμαῖος....., αἰσιμνῶντες μῆνα Διονύσιον ἐστεφάνωσαν ἁγεμόνα βουλᾶς Διονύσιον . . . (sequuntur nomina eorum qui coronant). Unde iam Latychew (Bull. IX, p. 282) collegit verbis προαισιμνῶν et ἁγεμὼν βουλᾶς idem significari. Apparet igitur his in titulis proaisymnetam non eponymi partes agere, potius formula προασιμνῶντος idem valere videtur, quod Athenis τῶν προέδρων ἐπεψήφιζεν[1]).

[1]) cf. de hac re etiam Swoboda, l. l. p. 80 et 98.

Quae cum ita sint, statuere fortasse licet apud Megarenses praetores easdem fere partes egisse quas in coloniis aisymnetas, ita ut senatus praesides intelligendi sint, nisi forte ad illos opineris omnes pertinuisse res externas. Cum priore vero sententia maxime convenit, quod totidem praetores erant quot κῶμαι, quas quinque fuisse testatur Plutarchus qu. gr. 17. Accedit aliud. Iis temporibus, quibus urbes Megaricae se ad societatem Boeotorum applicaverant (intra annos 223—192), nomina Megarensium magistratuum Boeoticorum institutorum ratione habita ita mutata esse videmus, ut pro rege archon, pro praetoribus polemarchi substituerentur[1]), unde concludere licet, Megarensium praetorum munera similia fuisse eis, quae Boeotici polemarchi administrabant. Hos autem in nonnullis Boeotiae civitatibus contioni praefuisse supra adnotavimus.

Praeter hos nonnullis in titulis alii quoque occurrunt magistratus peculiares, quos nullo modo inter eponymos numerandos esse iam inde elucet, quod qui proprie eponymus est omittitur. cf. Coll. 3022: Ἐπὶ γραμματέ[ος....], ἐπὶ δικαστᾶ... γόνου, γυμνασια[ρχοῦντος τοῦ δ. ἔφηβοι οἵδε ἐνεκρίθησαν etc. et ibidem 3024 plane similiter. Cum γραμματέα τῶν συνέδρων scribam senatus intelligendum esse demonstraverit Foucart (Le Bas, 34 c), epheborum curam penes senatum fuisse apparet eiusque scribam illos catalogos conficiendos curavisse.

Imperatorum aetate saepius in titulis votivis subscriptus invenitur στρατηγός, cf. Le Bas 50 b; Μᾶρκον Αὐρήλιον Καίσαρα, Αὐτοκράτορος.. υἱόν, ... ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμο[ς], ἐπὶ στρατηγοῦ Εὐνόμου τοῦ Ἀφροδεισίου, qua re adductus est Waddington, ut eponymiae dignitatem a rege in praetorem transisse putaret. Sed hoc loco ut alibi non tempus significari sed auctorem, sub quo illa opera dedicata sunt, alii eiusdem generis demonstrant tituli, quibus expressis verbis praetorem tali munere functum esse confirmatur. cf. C. J. G. 1074: Αὐτοκράτορα Καίσαρα Μᾶρκον Αὐρήλιον ... ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος ὑπὸ ἐπιμέλειαν τοῦ στρατηγοῦ Βι. Ὀνασικλέους. et ibid. 1079: Ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος Μ. Αἰμίλιον Σατορνεῖνον ἀνθύπατον, τὸν ἑαυτῶν μέγαν εὐεργέταν, ἐπιμεληθέντος τοῦ στρατηγοῦ τῆς πόλεως Ἀρίστωνος τοῦ Διονυσίου.

Neque aliter res se habere mihi videtur in titulo C. J. G. 1059, ubi eodem modo ἀρχιερεύς commemoratur: Ἀγαθῇ τύχῃ. Φλαβίαν Λαΐδα, Τ. Φλαβίου Μαξίμου γυναῖκα .... τὸ παλαιὸν Βακχεῖον

[1]) e. g. Coll. 3020: Ἄρχοντος Κλειμάχου, ἐν δὲ Ὀγχηστῷ Ποτιδαΐχου, ἐπολεμάρχουν Ἡράκλειτος Κνίφα (adduntur quinque), τοίδε ἀπῆλθον ἐξ ἐφήβων εἰς τὰ τάγματα e. q. s.

εὐνοίας χάριν, ἐπὶ ἀρχιερέως Ζωσίμου τοῦ Νυμφαίου. quare non faciam cum Boeckhio, qui adnotat haec: „Pontifex ille non huius thiasi videtur sacerdos esse; potius Bacchicus hic thiasus annos denominat ex pontifice civitatis."

Ex reliquis civitatibus, quorum eponymi ad alterum quod statuimus genus possunt referri, *Delphorum* tituli praebent nonnulla commemoratione digna. Prioribus temporibus eponymi honor penes prytanin fuisse videtur teste Pausania[1]), cum tituli omnes in fronte exhibeant ἄρχοντα. Sed cum prytanes et βουλευτάς, qui etiam ἄρχοντες appellantur, eosdem fuisse magistratus pro certo possit haberi[2]), non dubito quin ille πρύτανις quem exhibet Pausanias, intelligendus sit ἄρχων, qui in titulis occurrit. Sed utut res se habet, nobis quaerendum est, quibus de causis alii praeter archontem magistratus recenseantur in lapidibus. Omnia enim senatus populique decreta formulam vel praescriptam vel postscriptam praebent hanc: Wescher-Foucart (inscript. de Delphes) n. 11: Ἄρχοντος Κλέωνος, βουλευόντων τὰν πρώταν ἑξάμηνον Καλλία, Ἥρυος, Πασίωνος, ἔδοξε τᾶι πόλει τῶν Δελφῶν ἐν ἀγορᾶι τελείαι Ἀγάθαρχον . . . πρόξενον εἶμεν e. q. s. Docemur igitur Delphis annum in duo dispertitum fuisse semestria, quorum singula alios habebant consiliarios (βουλευταί), unde formula βουλευόντων τὴν πρώτην vel τὴν δευτέραν ἑξάμηνον. Non tamen prohibuit haec res Gilbert (l. l. p. 38) et Swoboda (p. 88) quominus senatores ad tempus accuratius definiendum appositos esse sibi fingerent. Hanc vero virorum doctorum sententiam stare non posse, facile est demonstratu. Ex titulis enim qui permulti exstant de manumissione servorum quique eiusdem sunt aetatis ac decreta, optime cognosci potest qua ratione in tempore accuratius definiendo usi sint Delphi. Addunt enim archonti singulorum mensium nomina W. F. 19: Ἄρχοντος ἐν Δελφοῖς Εὐδώρου, μηνὸς Εἰλαίου etc. Nonnunquam fit, ut in his quoque titulis occurrant βουλευταί. ibid. n. 21: Ἄρχοντος Σωξένου, μηνὸς τοῦ δ., βουλευόντων . . . . . . Quid hoc loco ubi mensis additur, βουλευταί ad temporis significationem valeant, equidem non video.

Quoniam autem ex ipso vocabulo βουλευτάς senatus praesides fuisse apparet, eos commemorari persuasum habebis, non ut tempus notarent, sed publice confirmarent documentum. Quod si statuimus, id

---

[1]) lib. X, 2, 3 de tertii quod vocatur belli sacri initio haec profert: τὴν δὲ τῶν Δελφῶν κατάληψιν ἐποιήσαντο οἱ Φωκεῖς Ἡρακλείδου μὲν πρυτανεύοντος ἐν Δελφοῖς καὶ Ἀγαθοκλέους Ἀθήνησι ἄρχοντος.

[2]) cf. Swoboda (l. l.), p. 88.

quoque explicare possumus, cur βουλευται interdum soli proprie eponymo omisso perscribantur, cf. W. F. 458. Quodsi eidem βουλευταί in titulis de manumissione saepissime occurrunt, causa inde mihi repetenda esse videtur, quod in illa actione repraesentabant rempublicam et postea libertorum salutem incolumitatemque tuendam curabant eodem modo quo polemarchi Boeotici.

Huc pertinent etiam decreta Amphictyonum Delphicorum, ubi praeter eponymum archontem praescriptos invenimus ἱερομνήμονας, W. F. n. 2: Ἐπὶ Νικάρχου ἄρχοντος ἐν Δελφοῖς, πυλαίας ὀπωρινῆς, ἱερομνημονούντων Αἰτωλῶν .... ἔδοξε τοῖς ἱερομνήμοσι. Nam ἱερομνήμονες cum sint legati, quos singulae Amphictyonici foederis civitates Delphos mittunt, causa cur nominentur plana est.

In nonnullis eiusmodi documentis ad Soteria celebranda spectantibus archonti adiungitur sacerdos (W. F. 3–6). Sed hoc loco quam non de temporis significatione cogitandum sit, inde perspici potest, quod in singulorum annorum titulis cum varii praebeantur archontes, sacerdos semper idem est.

Caput III.

Tertio denique capite nobis agendum est de eis eponymis qui et honore et potestate summum in republica tenebant locum. Huc pertinent primum eae civitates, quarum instituta publica magistratuumque potestas omnibus temporibus eadem fere manserunt, velut Spartae ephororum principem anno nomen dedisse constat[1]). Deinde rerum natura ferebat, ut ex summi magistratus nomine anni designarentur in eis civitatibus, quae tertio et altero a. Chr. n. saeculo in foederis formam erant redactae, velut Achaia, Aetolia, Phocis, Thessalia, aliae. Plerisque his foederibus cum praefectus esset στρατηγός, eius nomen

---

[1]) Tituli qui servati sunt posterioris aetatis, omnes fere πατρονόμον gerunt in fronte. Quos patronomos cum a Cleomene III. institutos esse constet (cf. Pausan. II, 9, 1), Boeckh (C. J. G. I, p. 605) inscriptionibus nisus eponymiae dignitatem ab ephoris, quos sustulerat Cleomenes, ad patronomorum principem transiisse collegit contra Pausaniam qui de suis ipsius temporibus dicens ait (III, 11, 2): ἔφοροι δὲ τά τε ἄλλα διοικοῦσι τὰ σπουδῆς μάλιστα ἄξια καὶ παρέχονται τὸν ἐπώνυμον, καθὰ δὴ καὶ Ἀθηναίοις τῶν καλουμένων ἐννέα ἐπώνυμός ἐστιν εἷς ἄρχων. Sed cum post pugnam apud Sellasiam factam prior reipublicae status restitutus sit atque ephororum quoque rursus fiat mentio in titulis, haud scio an non recte se habeat Boeckhii iudicium. Tituli enim quos habemus cum omnes fere magistratuum contineant catalogos aut subscripti sint tabulis votivis, hac ex re de eponymiae dignitate nihil certi effici potest.

decretis publicis praescriptum invenimus. Et quamquam in universum res plana esse videtur, tamen nonnulla sunt, quae ut sub examen vocentur cogunt, sive de ipso eponymo dubitatur sive, cur alii addantur magistratus non iusta adhuc perspecta est causa ab eis qui singulos tantum quos edunt respiciunt titulos.

Atque primum quidem pauca faciam verba de *Samothracae* insulae eponymo, qui est βασιλεύς. Hunc magistratum ex antiquissimis temporibus non solum nomen et honorem, sed etiam potestatem quandam servasse testatur Livius 45, 5: *itaque . . . . Theondam, qui summus magistratus apud eos erat — regem ipsi appellant — ad Persea mittunt, qui nuntiaret* e. q. s. Tum nonnullis docemur titulis eum rogationes ad populum tulisse, cf. Brit. Mus. III, p. 64, n. 444: Ἔδοξεν τῇ βουλῇ· βασιλεὺς Θεοτέλης Ἀριφάντου εἶπεν. ἐπειδὴ e. q. s. (agitur de proxenia tribuenda peregrinis hominibus) et Conze, Reisen auf d. Ins. d. thrak. Meeres, p. 66: Ἔδοξεν τῇ βουλῇ. βασιλεὺς Λεοθάρσης Πυθοκλείδου εἶπεν. (proxeniae decretum est). Quae his decretis decernuntur cum ad peregrinos pertineant homines, optime consentit cum eis quae Livius tradit, si regem res externas administrasse ponimus. Confirmatur haec sententia eodem ex Brit. Mus. supra allato titulo, ubi rex decretum peregrinis qui aderant theoris tradere iubetur, v. 30: δοῦν[αι τόδε τὸ] ψήφισμα τὸμ βασιλέα τοῖς πρώτοις παραγενομένοις θεωροῖς, ἔ[τι δὲ καὶ] τὸ γραφὲν ἐπὶ Σωσιφάνους ἀνεγκεῖν τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμ[ῳ τῷ Ἰα]σέων.

Si cum rege coniunctus invenitur alibi ἀγορανόμος (C. J. G. 2158), iam Boeckh causam cur commemoraretur intellexit, recteque adnotavit: „Agoranomus Samothracius fortasse nominatus est, quod ad eum pertineret operum publicorum refectio.“ Titulus enim subscriptus erat donario ab Asclepiade quodam posito. Equidem vero non solum refectionem, sed omnem omnium operum quae exstruebantur aut dedicabantur curam penes illum fuisse concludendum esse arbitror ex titulis duobus, qui cum mystarum contineant nomina, subscripti erant sine dubio donario alicui ab illis dedicato. cf. Conze, Samothrake, II, p. 95:

Διαγόρα[ς
Διονύσιος
Ζηνοδώρα
. . . σιου
Ἀγορανο[μοῦντος
τοξε.

et ibid. p. 96:

μύσ]ται εὐσεβε[ῖς
. . κλῆς Φιλάργου Ῥόδ[ιος
καὶ . . . .
ἀγορανομοῦντος
Ἀρχικλέους.

Aetolici foederis decreta — quamvis perpauca sint — qui attente perlegerit, eum vix fugiet quam simplicem praescriptorum exhibeant formam; praeter στρατηγὸν nullius magistratus fit mentio. cf. Bull. X, p. 187: Στραταγέοντος τῶν Αἰτωλῶν Φ[ύ]λ[ακ]ος τοῦ Πανταλέωνος [Πλευρων]ίου [Π]αναιτωλι[κοῖς]. ἔδοξε τοῖς Αἰτωλοῖς. ἐπεὶ . . . . (proxeniae decreti fragmentum esse videtur); praeterea Dittenb. 325 = Coll. 1409: Στραταγέοντος Τιμαίου ἔδοξε τοῖς Αἰτωλοῖς . μηθένα τῶν ἐν Δελφοῖς συνοίκων ἀτελέα εἶμεν . . c. q. s. similiter Coll. 1411 et Dittenb. 183 = Coll. 1410. Neque casu hoc factum esse crediderim. Scimus enim ex Polybio et Livio praetorem concilium foederis convocasse eique praefuisse atque rogandi referendique habuisse potestatem (cf. Gilbert, II, p. 28 et Swoboda p. 173). Curabat igitur praetor ipse unus varia munera, quae alibi inter plures magistratus erant divisa. Quae cum ita sint, diiudicari nequit utrum ad tempus notandum an ad decretum publice confirmandum praescriptus sit summus ille magistratus. Eponymiae vero dignitatem eius fuisse demonstrant tituli manumissiones continentes, qui omnes eius nomen in fronte gerunt (cf. Coll. 1426 et 1428 i). Quare valde miror, quomodo Gilbert (p. 28. A. 2) et Swoboda (p. 211, A. 2) in titulo Coll. 1415 ubi γραμματεύς occurrit, de temporis significatione cogitare potuerint. Legimus enim haec: Μελιταιέοις καὶ Πηρέοις ἔκριναν οἱ ὑπὸ τῶν Αἰτωλῶν αἱρεθέντες δικασταὶ . . . . ὅρια μὲν εἶμεν τὰς χώρας . . . . Μάρτυρες τὸ συνέδριον Α[ἰτω]λῶν τὸ ἐπὶ γραμματέος Λύκου καὶ οἱ προστάται τοῦ συνεδρίου (duorum nomina adduntur), καὶ ὁ γραμματεὺς [Ἔπο]χος Ἐρυθραῖος καὶ ὁ ἱππάρχας Ἀλέξων Ἑρμάττιος. Adduntur igitur in fine testes arbitrii, quod dederant Aetolorum iudices. Sed temporis significationem ab hoc loco abhorrere iam inde apparet, quod unum tantum membrum (τὸ συνέδριον) praepositione ἐπὶ accuratius definitur. Equidem pro certo habeo eam senatus partem significari, quae tum ipsum negotia curabat, ita ut ille γραμματεύς idem fere valeat ac Athenis γραμματεὺς ὁ κατὰ πρυτανείαν vestustioribus temporibus[1]). (Quod si

[1]) quocum potest conferri quod legitur in titulis Atticis: Ἑλληνοταμίαι—οἷς ἐγραμμάτευεν ὁ δεῖνα.

statues, habebis etiam explicationem, cur duo praeterea adduntur προστάται. Et alter qui recensetur scriba sine dubio annuus est publicus, quem commemorat Livius XXXVIII, 11 et Polybius XXII, 15, 10.

Quantopere autem cavendum sit, ne ubique de temporis significatione cogites, alius docet titulus qui pactionem inter Aetolos et Ceos factam continet, cuius in fine subscripti sunt etiam legati, qui foederis tabulas in patriam secum ferebant, cf. Dittenb. 183 = Coll. 1410: Ἔδοξεν τοῖς Αἰτωλοῖς ποτὶ τοὺς [Κε]ίους τὰν φιλίαν τὰν ὑπάρχουσαν διαφυλάσσειν καὶ μηθένα ἄγειν Αἰτωλῶν.... τοὺς Κείους. Στρα[ταγέοντος .....], πρεσβευσάντων ἐν Κέ[ων ....

Quinam fuerint *Phocensium* magistratus eponymi dissentiunt viri docti, cum alii στρατηγὸν, alii φωκάρχας hoc munere functos esse contendunt. Atque cum tituli quibus strategus praescriptus est, alterius a. Chr. n. sint saeculi, fuerunt qui illos in quibus phocarchae occurrunt priori[1]), alii qui posteriori tempori tribuendos esse censerent[2]). Haec omnia tam vagis et infirmis nituntur argumentis, ut refutare supersedeam. Res plane aliter se habet. Praetorem (στρατηγόν) altero saeculo eponymiae honore praeditum fuisse multi testantur tituli (cf. e. g. Coll. 1593; Wescher-Foucart 35). Atque cum scriptores tradant strategos iam prioribus temporibus multum valuisse (cf. Gilbert, II, p. 34, A. 1, 2), verisimillimum est eos omnibus temporibus illius dignitatis participes fuisse. Sed iam videamus quid de phocarchis statuendum sit. Occurrunt in titulo, quo proxeniae honor decernitur. Bull. X, p. 360: Ἀγαθᾶι τύχαι. Φωκεῖς ἔδωκαν Μενεφείδει ..... προξενίαν....... φωκαρχεόντων Κυδίππου Τιθορρέος, Ξενοτίμου Ἐλατέος, Εὐδρόμου Φανοτέος, γραμματεύοντος Ἀντιλόχου Φαν[οτέ]ος.

Iam vides hic phocarchas universi foederis decretis subscriptos esse simili modo ac boeotarchas in Boeotia. Quid igitur impedit quominus eos senatum foederis fuisse sumamus, qui coniuncti cum scriba decreti fidem testantur[3]). Quare non dubito quin eidem sint illi ἄρχοντες qui commemorantur Bull. XI, p. 324: Φωκεῖς [κατέ-

---

[1]) Paris, ad Bull. X, p. 360.

[2]) Vischer, kl. Schriften, I, p. 329.

[3]) Huc referendi esse mihi videntur etiam demiurgi foederis Achaici, quos similiter in fine decretorum additos invenimus. cf. Dittenb. 182 = Coll. 1636: Ἔδοξε τῷ κοινῷ τῶν Ἀχαιῶν · τοῖς ὁμήροις τῶν Βοιωτῶν καὶ Φωκέων προξενίαν δόμεν αὐτοῖς καὶ ἐκγόνοις .... ἐπὶ δαμιοργ[ῶ]ν ..... ἦγα Βουρίου, Νικανδρίδα .... Quos si Weinert (Die ach. Bundesverf. Demmin 1881, p. 20) inter eponymos

β]αλον τριά[κο]ντα τάλαντα ἐν Δ[ε]λ[φ]ο[ὺς] ἐν τὰν ἐαρινὰν πυλαίαν, ἀρχόντ[ω]ν Φω[κεῦ]σι Ἀρχεδάμου Ἐλατείεος, Κρίτωνος Ε...., Μελίτωνος Ἐλατείεος...., γραμματεύοντος Τιμαγ...., ἄρχοντος Δελφοῖς Παλαίου Εὐάνθεος · βρυτανευόντων τ. δ. Quos ut ad tempus significandum adhibitos esse putaret Swoboda (p. 211) adductus est sine dubio, quod Delphorum archon et πρυτανεύοντες una nominantur. Sed vidimus iam illos prytanes ad temporis significationem nihil valere.

Foederi *Thessalorum* anno 196 a. Chr. constituto praefuit strategus[1]), cuius ex nomine annos computatos esse discimus ex titulis huius formae: Coll. 3205, [Στραταγο]ῦντος Θεσσαλῶν μὲν Ἱππολόχου τοῦ Ἀλεξίππου [τὸ δεύτ[ερον Λαρισαίου, μηνὸς [ὡς Θε]σσαλοὶ ἄγοντι Θεμιστίου e. q. s. praeterea conferas Athen. Mittg. IX, p. 300, ταμιεύοντος τῆς πόλ[εως τ. δ.] ἐπὶ στρατηγοῦ Κύλλου Εὐβιό[του]. similiter Bull. X, p. 438 et 447. Prioribus temporibus verisimile est tagos (ταγεύοντας) qui summam habebant potestatem, in singulis civitatibus eponymi locum tenuisse. Si vero foederis aetate occurrunt in inscriptionibus iuxta praetorem, hanc ob causam eos recenseri arbitror, quod contioni praesidebant (cf. Gilbert, p. 15 et Swoboda, p. 168).

Singularum urbium Lamia et Larissa praebent nonnullos titulos, quibus cur praeter strategum alii peculiares praescribantur magistratus, primo obtutu non satis perspicitur. Larisaeis in documentis saepe deprehendimus ταμίαν, cf. Bull. XIII, p. 395: Στρατηγοῦντο]ς Ἀντ]ειπάτρου, μηνὸς [Ε]ὐωνίου δευτέ[ραν] ταμιεύοντος [τῆς πόλ[εος Ἐπικράτου, Ἐλπὶς ἡ (ἀ)πελευθερωθ[εῖσα ὑ]πὸ Φιλοδεσποτίδος, ἔδωκεν τὰ γενό[μενα δ(ηνάρια) κβ. ibid. p. 397: Στρατηγοῦντος Φιλοκράτους τοῦ δ., ταμιεύοντος τὴν δε[υ]τέραν ἑξάμηνον Θέωνος τοῦ δ., οἱ φάμενοι γεγονέναι ἀπελεύθεροι καὶ δεδωκότες τῇ πόλει τοὺς δεκαπέντε στατῆρας. His in titulis cum appareat ταμίαν nominatum esse, ut pecuniam a servis in aerarium solutam esse confirmaret, non dubium esse potest, quin ab ipso quaestore illa tabula confecta et collocata sit. Quam sententiam comprobari video titulo, Ath. Mittlg. 7, p. 232, cuius in fine legimus: ὁ γεγονὼς ταμίας

---

numerat, non est quod miremur. De ipso autem eponymo iudicium facere non audeo. Nam praescriptum invenimus praeter strategum et scribam, quem priore foederis aetate summam habuisse potestatem refert Livius; sed cum de titulorum aetate magna sit dissensio, vix aliquid certum effici potest.

[1]) Series horum praetorum nobis servata est in Euseb. Chron. I, p. 243 ed. Schoene.

τῆς [π]όλε]ως] ἀ[νέγραψε τοὺς φαμένους ἀ]πηλευθερῶ[σθαι, οἵτινες ἔδωκαν τοὺ]ς γινομένους τῇ [πόλει στατῆρας . . . .

Multo difficilior res est in titulis, ubi coniunctus cum tagis recensetur gymnasiarchus neque argumentum versatur in rebus, quae ad illius officia pertinere solent. cf. Coll. 345: Ταγ]ευόντουν Ἀναγκίπποι......, γυμνασιαρχέντος Ἀλεύα Δαμοσθενείοι· Φιλίπποι τοῖ βασιλεῖος ἐπιστολὰν ἀ[π]υστέλλαντος ποτ τὸς ταγὸς καὶ τὰν πόλιν τὰν ὑπογεγραμμέναν (sequitur epistula). similiter ibid. v. 24; porro Mittlg. 7, p. 232: Δημάρχου τοῦ Αἰσχίνου ταμιεύοντος τ[ὴν π]ρ[ώτην ἑ]ξάμηνον τὴν ἐπὶ σ[τρατηγοῦ....], ταγεύοντος τοῦ δ.], γυμνασιαρχοῦν[τος τ. δ.]...[ἀπελεύθεροι] οἱ καὶ δεδωκότες e. q. s. Videmus gymnasiarchi hoc loco mentionem fieri simili modo quo alibi scribae. Fortasse haec res inde explicari potest, ut gymnasium locum fuisse sumamus, quo tagi conveniebant ad publica negotia administranda et ab ipso loco nomen accepisse illum, qui scribae munere fungebatur[1]).

In decretis Lamiae urbis praeter tagos (pro his substituti sunt ἄρχοντες in documentis eius aetatis, qua urbs foederi Aetolico adiuncta erat) saepius subscriptos deprehendimus militares magistratus στρατηγὸν et ἵππαρχον. cf. Coll. 1439: Στραταγέοντος τῶν Αἰτωλῶν Ἰ.... Ἀρσινόεος, ἀγαθᾶι τύχαι ἁ πόλ[ις τῶν] Λαμιέων καὶ ἁ βουλὰ μηνὸς Χρυτ. . . . . . πρόξενον εἶμεν τᾶς πόλιος . . . . ἀρχόντων Νικασίππου (tres adduntur), ἱππαρχέοντος Βερβίνα, στραταγέοντος Θεοδώρου . ἔνγυοι τᾶς προξενίας οἱ δ. porro Mittlg. 7, 361: Λαμιεῖς ἔδωκαν προξενίαν..... ἀρχόντων τῶν δ., στραταγέοντος τ. δ., [ἱπ]παρχέοντος τ. δ., [γραμ]ματεύοντος τ. δ. similiter Coll. 1440, 1441. Omnes hi tituli cum proxeniae contineant decreta pertineantque ad peregrinos homines de Lamiensium republica bene meritos, colligere licet magistratus illos recenseri, quod externas civitatis res administrabant. Sed reperitur etiam decretum, in quo desunt illi magistratus tagique soli exhibentur (Coll. 1447). Agitur de proxenia medico equario tribuenda, qui arte sua de urbe bene meritus erat. Quod cum ita sit, conicere licet peculiares illos magistratus perscribi solitos esse in eis tantum decretis, quibus honorabantur ii, qui in rebus militaribus adiuverant civitatem, ita ut similis sit ratio quam fuisse vidimus quaestorum in titulis Larisaeis quaeque eadem fit in Lamiae de manumissione documentis, cf. Coll. 1449: Στραταγ]έοντος Ἰσαγόρα τοῦ δ., ταμιεύοντος τᾶς πόλιος Πυλάδα τοῦ δ., ἀπελεύθερο[ι δεδωκότε]ς...τοὺς δεκαπέντε στατῆρας.

---

[1]) Plane similiter memoratur hic magistratus in titulo Cranonio, Coll. 361.

Disputatione ad finem perducta reliquum est, ut breviter consideremus, primum cuiusnam generis sint tituli, in quibus eponymorum fit mentio, deinde quibus potissimum indiciis quis vere eponymus sit cognoscatur.

Praeter pauca quae ad res sacras spectant documenta, inscriptiones continent decreta publica, quibus aut honores tribuuntur peregrinis aut inter vicinas civitates foedera fiunt aut controversiae dirimuntur (arbitria); praeterea invenimus catalogos magistratuum, epheborum, conscriptorum, denique titulos ad servorum manumissiones et res dedicatas pertinentes.

Magistratus vere eponymus indicatur:

a) formula ὡς ἄγουσιν, quae occurrit ubicunque complurium civitatum temporis significandi rationes adhibitae sunt;

b) praepositione ἐπὶ ad unum (eponymum) addita, sicubi complures magistratus genetivo casu perscribuntur;

c) si magistratus cuiusdam nomine aut annus significatur (εἰς τὸν ἐπὶ Νίκωνος ἄρχοντος ἐνιαυτόν) aut aliorum magistratuum tempora computantur;

d) si magistratus cuiusdam nomine nihil nisi tempus significari posse elucet;

e) nonnunquam fit, ut *prae*scribatur eponymus et *sub*scribantur magistratus peculiares.

Appendix.

Athenis eponymi locum omnibus temporibus quin tenuerit archon, nemo iam dubitat postquam A. Kirchhoff in Hermae volumine II, p. 161 sq. demonstravit Plutarchum erravisse, qui in vita Demetrii X, p. 893 narrat archontis eponymi magistratum anno 307 a. Chr. n. sublatum eiusque in locum substitutum esse sacerdotem Σωτήρων, scl. Demetrii et Antigoni regum. Contra vulgaris omnium est opinio[1]) Romanorum aetate inter duos magistratus distributum fuisse eponymiae honorem, scl. archontem et στρατηγὸν ἐπὶ τοὺς ὁπλίτας, qui summae tum auctoritatis fuisse videtur. Quae sententia quam non sit probanda ipsi tituli docebunt, si accuratius perlustraveris. Decretorum, quae omnino rara sunt Romanorum temporibus, unum tantum exstat, cui praeter archontem illius strategi nomen inscriptum est. cf. C. J. A. II, p. 295, n. 481: [Ἐπὶ.....]ου ἄρχοντος· στρατηγοῦντος ἐπὶ τοὺς ὁπλίτας Μνασ[έου τοῦ] Μνασ[έου Βερε]νικίδου. βουλῆς ψηφίσματα · Βοηδρομι[ῶ]νος ἕκτῃ ἱστ[αμένου · ἐ]ν τῷ Θησε[ίῳ βουλή]. Μνασέας Μνασέου Βερεν[ικίδης] εἶπεν · ὑπὲρ ὧν [ἀπαγγέλλει] ὁ κοσμητὴ[ς τῶν ἐφήβων] Ἡδύλος.........[δεδόχθαι τ]ῇ βουλῇ e. q. s. Iam vides strategi hoc loco plane diverso modo mentionem fieri ac archontis. Hic enim cum tantum temporis significandi causa recenseatur, illius ad officium tituli argumentum aliqua ex parte pertinere iam inde colligas, quod ipse strategus rogationem fert ad senatum. Praeterea notandum est rem, de qua agitur, decerni non a populo, sed senatu. Quare cum constet Romanorum aetate ut contionis potestatem diminutam, ita senatus strategique auctam esse auctoritatem[2]), non dubito quin perscriptus sit in hoc decreto strategus ut peculiaris magistratus, sive quod potestatem habebat exsequendi omnia, quae publice decernebantur, sive senatui praesidebat. Simili enim munere eum functum esse Imperatorum aetate

[1]) cf. e. g. Gilbert, qui l. l. I, p. 15 haec affert: Gleich bei seiner ersten Erwähnung erscheint dieser eine στρατηγός neben dem Archon als eponymer Beamter und so wiederholt in der Kaiserzeit.

[2]) cf. Swoboda, Rhein. Mus. 45, p. 288 sq.

docemur titulo C. J. A. III, n. 38, qui Hadriani legem de oleo exportando continet, ubi strategus si quis oleum lege neglecta exportaverit, τὴν βουλὴν, si plus quinquaginta amphoras, ἐκκλησίαν convocare iubetur.

Sed utcunque res se habet, eponymiae honoris strategum participem non fuisse vel inde cognosci potest, quod in eodem titulo (C. J. A. II, n. 481) non semel ex archontis nomine annus notatur (οἱ ἐφηβεύσαντες ἐν τῷ ἐπὶ Ἀπολλοδώρου ἄρχοντος ἐνιαυτῷ). Strategi nomen nusquam similiter adhibitum reperitur. Notandum est fortasse et illud, quod in hac verborum collocatione strategi nomen omissa praepositione ἐπὶ, quae archontis propria est, in genetivo absoluto ponitur. Unum autem, non duos magistratus eponymi locum tenuisse et per se est verisimile et confirmatur formula quae saepius occurrit: ὁ ἐπώνυμος ἄρχων (cf. C. J. A. III, 63, 623, 656 etc.). Huc accedit, quod ubicunque Imperatores eponymorum loco reperiuntur, ei non strategi, sed archontis semper funguntur partibus, e. g. C. J. A. III, p. 260, n. 1091: Ἐπ[ὶ] Αὐτοκράτορος Καίσ[α]ρος, Θεοῦ Οὐεσπα[σ]ιανοῦ υἱοῦ, Δομετιανο[ῦ Σ]εβαστοῦ Γερμανικοῦ Διὸς Ἐλευθερίου [ἄρχο]ντος, e. q. s.

Praeter decreta duo titulorum sunt genera, quibus strategi nomen praefixum deprehendimus: tabulae votivae et prytanum catalogi. Prioris generis exempla affero haec: C. J. A. III, p. 40, n. 63: [Ὁ δ]ῆμος θεᾷ Ῥώμῃ καὶ Σ[εβαστ]ῷ Καίσαρι, στρα[τηγο]ῦντος ἐπὶ τ[οὺς] ὁπλίτας Παμμένους τοῦ Ζήνωνος Μαραθωνίου ἱερέως θεᾶς Ῥώμης καὶ Σεβαστοῦ Σωτῆρος ἐπ' ἀκροπόλει, ἐπὶ ἱερείας Ἀθηνᾶς Πολιάδος Μεγίστης τῆς Ἀσκληπίδου Ἁλαιέως θυγατρός, ἐπὶ ἄρχοντος Ἀρήου [τοῦ Δ]ωρίωνος Παιανιέως. et ibid. p. 99, n. 458: Ἡ βουλὴ ἡ ἐξ Ἀρείου [πάγου καὶ ἡ βουλὴ] τῶν ἑξακοσίων [καὶ ὁ δῆμος Τιβέριον] Κλαύδιον Καίσαρα . . . . . αὐτοκράτορα . . . . στρατηγοῦντος] ἐπὶ τοὺς ὁπλείτας] . . . Βη[σαιέως, ἐπωνύμου [δὲ τῆς πόλεως ἄρχοντος Ἰ]ο[υ[λίου . .

porro ibid. p. 40, n. 65: Ὁ δῆμος ἀπὸ τῶν δοθεισῶν δωρεῶν ὑπὸ Γαίου Ἰουλίου Καίσαρος θεοῦ καὶ Αὐτοκράτορος Καίσαρος θεοῦ υἱοῦ Σεβαστοῦ Ἀθηνᾷ Ἀρχηγέτιδι, στρατηγοῦντος ἐπὶ τοὺς ὁπλίτας Εὐκλέους Μαραθωνίου τοῦ καὶ διαδεξαμένου τὴν ἐπιμέλειαν ὑπὲρ τοῦ πατρὸς Ἡρώδου τοῦ καὶ πρεσβεύσαντος ἐπὶ ἄρχοντος Νικίου τοῦ Σαραπίωνος Ἀθμονέως. denique ibid. p. 41, n. 68: Ἑστίᾳ καὶ Ἀπόλλωνι καὶ θεοῖς Σεβαστοῖς . . . . Φιλόξενος . . . ἀνέθηκεν . . . ., στρατηγοῦντος ἐπὶ τοὺς ὁπλείτας Τι. Κλαυδίου Θεογένους Παιανιέως καὶ ἐπιμελητοῦ τῆς πόλεως . . . . . Τρικορυ[σίου].

In his omnibus fere titulis cum tota civitas sit, quae dedicationem facit, summus ille magistratus perscribitur sine dubio aut quod repraesentabat civitatem aut quod eius consilio et nomine res dedicabantur. Cura ergo omnium harum rerum penes strategum erat. Quod luculentissime mihi elucere videtur ex ultimo quem attuli titulo, cuius in fine praeter strategum etiam ἐπιμελητής τῆς πόλεως recensetur. Hunc vero magistratum re vera simili munere functum esse demonstrat til. C. J. G. 361: Ἡ βουλὴ ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου καὶ ἡ βουλὴ τῶν Χ' καὶ ὁ δῆμος Ἰουλίαν Βερενείκην βασίλισσαν . . . . διὰ τῆς προνοίας τοῦ ἐπιμελητοῦ τῆς πόλεως τοῦ δ.

Praeterea exstat titulus, qui strategum iam ante Romanorum imperium non ad tempus notandum adhibitum, sed ea ratione quam nos proposuimus, subscriptum esse testatur: C. J. A. II ^{3}, p. 2, n. 1158, [Βου]λὴ ἡ ἐπὶ [Τ]ηλοκ[λέου]ς ἄρχοντος ἀνέθηκεν.

Τούσδε ἐστ[εφά]νωσεν ὁ δῆμος κρίνας ἄρ[ιστα β]εβουλευκέναι (nomina adduntur). Σ[τ]ρα[τη]γοῦντος [Ἀρισ]τείδου Λαμπτρέως. „Aetas tituli inde definitur, quod Νικοφράτης Isaeo archonte anno 285/4 a. Chr. adultus fuit.“

Hoc igitur pro certo haberi potest, strategum omnibus locis nominari non ad tempus significandum, sed ut magistratum, ad quem tituli argumentum aliqua ex parte pertineat. Similiter enim in aliis quoque titulis pro rei argumento peculiares recensentur magistratus, quos inter eponymos numerare nemini adhuc in mentem venit. Conferas e. g. titulos gymnasticos, C. J. A. III, p. 50, n. 93: [Ἐ]πὶ ἄρχοντος Σέξ[τ]ου, κοσμητεύον[τος] Ἑρεννίου τοῦ δ., [Φλ]άβιος Πρόκλος, γυμνασιαρχήσας [τ]ὸν Ἀνθεστηριῶν[α, τὴ]ν λαμπάδ[α] ἀνέθ[ηκεν], παιδοτριβοῦν[τος] Ἀβασκάντου. ibid p. 52, n. 105: Διονύσιος.... γυμνασιαρχήσας ἐν τῷ [ἐπὶ] Ἀριστοξένου ἄρχοντος ἐνιαυτ[ῷ] Ἑρμῇ. παιδοτριβοῦντος τοῦ δ., ὑποπαιδοτριβοῦντος τοῦ δ.

Quae cum ita sint, similem rationem subesse concedas, si in catalogis prytanum strategi nomen occurrit. Hi omnes formam praebent huius similem, C. J. A. III, p. 241, n. 1063: Ἐπὶ ἄρχοντος Κασιανοῦ . . . . ., στρατηγοῦντος ἐπὶ τὰ ὅ[πλα τοῦ δ.], οἱ πρυτάνεις τῆς Ἁδριαν[ίδος φυλῆς . . . . .] ἑαυτοὺς ἀνέγραψαν. Sine dubio causa repetenda est ex necessitudine, quae intercedebat inter senatum et strategum.

His expositis non iam offendes cum Kirchhoffio (Hermes I, p. 217 sq.) in titulo C. J. A. II, 593, in quo strategus solus perscriptus exhibetur. Decretum continet cleruchorum Atticorum, qui Myrinam urbem insulae Lemni incolebant.

Legimus haec: [. . . . τῆς δὲ] ἀναγορεύσε[ως [ἐπιμεληθῆναι ἐμ Μυρίνει - - - -, Ἀθήνησι] δὲ τοὺς στ]ρατηγούς. πέμψ[αι δὲ εἰς Ἀθήνας τὸν στέφανον καὶ - - - - . . . ποιήσασθα[ι τὴν ἐπιγραφὴν τήνδε · ὁ δῆμος ὁ Ἀθ]ηναίων τῶν ἐμ Μυρίνῃ χαριστήριον τεῖ [Ἀθηνᾷ . . . . . καὶ σωτείρᾳ τ]ῆς πόλεως ὑπὲρ τῆς γεγονείας ἐπὶ τῆς Ῥωμαίω[ν συγκλήτου βεβαιώσεως τῶν πρότερο]ν ὑπαρχουσῶν νήσων τῷ δήμῳ τῷ Ἀθηναίων [Ἀθήνῃσι στρατηγοῦντος ἐπὶ τοὺ]ς ὁπλίτας τὸ δεύτερον Ἡρακλείτου τοῦ Ποσειδίππου - - -, ἐπὶ δὲ Λῆμνον στρ[ατηγ]οῦντος Φιλαρχίδου Παιανιέως, ἱππαρχοῦντος τὸ δεύ]τερον Τ]ελεσιδήμου τοῦ δ. χειροτονῆσαι δὲ τὸν δῆμον ἤδη πρέσβε[ις] . . . . οἵτινες ἀφικόμενοι εἰς Ἀθήνας . . . . . . [ἀ]ναθέντες δὲ κα[ὶ . . . . τὸν] στέφανον μετὰ τῆς προειρημένης ἐπιγραφῆς ὑπογράψαντες καὶ τὰ ὀνόματα τῶν Ἀθήνῃ]σι καὶ τῶν ἐν Μυρίνει στρατ[η]γῶν ποιήσονται τὴν πρόσοδον e. q s. Agitur hic, quantum ex mutilato documento cognosci potest, de corona quam Athenas mittunt Lemni insulae cleruchi deae urbis dedicandam, quod iudicio a senatu Romano facto restitutae sunt Atheniensibus insulae aliquot, quae prius in eorum potestate fuisse videntur. Decretum factum esse putant viri docti paulo post finem belli Macedonici tertii. Ad verba Ἀθήνησι στρατηγοῦντος e. q. s. Kirchhoff (l. l. p. 220) adnotat haec: Dass hiermit das Jahr bezeichnet werden soll, in dem der für Athen günstige Spruch des Senates erfolgt war, geht zur Genüge aus dem Umstande hervor, dass weiter unten die Gesandten, welche den Kranz zu weihen haben, ausdrücklich angewiesen werden, in Athen selbst noch einmal die Namen der Strategen von Athen und Myrina darunter anbringen zu lassen, offenbar um das Datum der stattgefundenen Weihung zu verewigen. Es folgt daraus zugleich, dass der vorliegende Beschluss gegen das Ende eines Jahres vor den Archäresien gefasst worden ist, zu einer Zeit, wo man die Namen der Behörden des folgenden Jahres, bis in welches möglicher Weise sich die wirkliche Weihung verzögern konnte, noch nicht kannte. Merkwürdig ist, dass des Archonten neben den Strategen und dem Hipparchen gar keine Erwähnung geschieht.

Haec viri doctissimi sententia nobis probari non potest. Iam perspicis illos magistratus hic non recenseri, ut annus ex eorum nomine significetur, sed sine dubio quia ipsi rem de qua agitur agebant ante senatum Romanum, qui ergo re impetrata optime de republica meriti erant. Verba autem, quibus legati monentur, ut rursus subscribant Athenis strategorum nomina, ita intelligenda esse arbitror, ut legati iubeantur illa nomina inscribere basi vel statuae, cui sine dubio corona imponebatur.

Similiter strategi mentio fit in alio Lemni insulae titulo, Bull IV, p. 543 = C. J. A. II, 593: [Ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων τῶν ἐν Ἡφαιστίαι τὴν βουλὴν τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου ἀρετῆς ἕνεκεν καὶ εὐεργεσίας τῆς εἰς ἑαυτὸν ἀνέθηκεν, στρατηγούντων ἐμ μὲν ἄστει ἐπὶ τοὺς ὁπλίτας τὸ δεύτερον Ἐπικράτους τοῦ Καλλιμάχου Λευκονέως, ἐπὶ δὲ Λῆμνον Ἀθηναίου τοῦ Ἡρακλείδου Σφηττίου, κήρυκος δὲ τῆς βουλῆς Δημοχάρου τοῦ Μ. . ., στρατηγοῦντος κατὰ πόλιν Κτησικράτου τοῦ δ.

Ne hic quidem temporis significationem subesse vel inde manifestum fit, quod additus est κῆρυξ τῆς βουλῆς, qui sine dubio est praeco Areopagi. Quare cum Areopagi statua dedicetur a Lemniis, rem ita mihi fingo, ut omnes qui utriusque civitatis operi dedicando intererant magistratus nominari putem.

Iam restat, ut uno verbo tangam titulum Delphis exaratum, cui strategus re vera ad tempus significandum praescriptus esse videtur, cf. Wescher-Foucart, n. 424: Ἄρχοντος ἐν [Δε]λφοῖς Εὐκλέος μηνὸς Ποιτροπίου, βουλευόντων τὰν πρώταν ἑξάμ[ην]ον Εὐδόκου....., ἐν δὲ Ἀθήναις στραταγέοντος Ξενοκλέος μηνὸς Ποσειδεῶνος, ἐπὶ τοῖσδε ἀπέδοτο e. q. s. Iam alibi fieri vidimus, ut annus notetur ex nomine potentissimi et notissimi in republica magistratus in documentis, quae collocata erant in terra externa. Quare hic titulus nihil valet ad strategi eponymiae honorem confirmandum.

Iam mihi liceat hoc loco gratias agere quam maximas praeceptoribus optime de me meritis *Adolpho Kiessling* et *Georgio Kaibel*, huius disputationis auctori atque duci.

INDEX

EPONYMORUM:

CIVITATUM:

Druckerei d. Str. N. N., A.-G., vorm. H. L. Kayser.